

Disputatio Theologica, 2.
Pio S. Coenæ usui prævia,
de
Natura & Affectionibus
Donorum Spiritus Sancti
Extraordinariorum,

quam,
Præfide

Rectore Magnifico

NICOLAO NONNEN,

S. Theol. D. Ejusd. & Philos. Practicæ Prof. P. ac Cœtus Mariani

Pastore Primario,

publice tuebitur

CONRADUS HENRICUS RUNGE,

Bremenfis S. Th. C.

& Societ. Teut. Brem. Secretarius.

die Jovis 13 Decembr. A. MDCCLIII.

h. l. q. f.

B R E M Æ,

TYPIS VIDUÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHI.

2. Disputatio Theologica
Pro S. Coena ulni prava

Natura & Affectioibus
Donorum Spiritus Sancti

Expositio

quam
Praeside

Rebba Magnifico
NICOLAO NONNEN.
S. Theol. D. Rjusd & Philol. Praedice Prof. P. de Coena Mariani

Pastore Primario

CONRADUS HENRICUS RUNGE

Primum & T. C.

X. Coena ulni prava

de Coena ulni prava

1771

BREMEN
H. C. H. M. CHRIST. JANI GYORDAM IN VESTEN
Gyordam II. Programm



PERILLUSTRIBUS
LIBERÆ REIPUBLICÆ PATRIÆ
PRO CERIBUS,
PERQUAM MAGNIFICIS,
AMPLISSIMIS
CONSULTISSIMIS, VIRIS,

DN. HENRICO LAMPE,
JCTO, CONSULI SENIORI, CUM MAXIME URBIS PRÆ-
SIDI, ECCLESiarUM IN AGRO BREMENSI VISITATORI
VIGILANTISSIMO ET BIBLIOTHECÆ PUBLICIS COMMODO-
DIS DESTINATÆ SUPREMO INSPECTORI.

DN. CHRIST. SCHOENE,
JCTO, CONSULI, ÆDIS D. MICHAELIS UT ET
XENODOCHII AD D. REMBERTI PROVISORI
FIDELISSIMO,

**DN. VOLCHARDO MIN-
DEMAN,**
JCTO, CONSULI, PATRIÆ SALUTEM INTEGER-
RIME CURANTI.

**DN. HENR. GERHARDO
SCHUMACHER,**
JCTO, CONSULI, JUDICI HÆREDITARIO IN BORG-
FELD ET ILL. SCHOLÆ, QUONDAM PROFESSORI CE-
LEBERRIMO NUNC SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO.



NEC NON
V I R O
AMPLISSIMO, NOBILISSIMO,
CONSULTISSIMO,
D O M I N O
HIERONYMOKLUGKIST,
JCTO, SENATORI, REI MILITARIS PRÆFECTO,
SCHOLÆ CONSTITUENDÆ DUUMVIRO; AVUNCU-
LO SUO FAUENTISSIMO, DILECTISSIMO,

MUSARUM STATORIBUS
MUNIFICENTISSIMIS
PATRONIS
ÆTERNUM COLENDIS.

DISSERTATIONEM HANC

QUA PAR EST OBSERVANTIA
OPPERT
DEFENDENS.



II

DISPUTATIO THEOLOGICA

de
Natura & Affectionibus
Donorum Spiritus S. Extraordinariorum.



distincta a Paulo. 1 Cor. XII, 8-10. ut & vs. 28. Spiritus Sancti dona, ut a se differebant, indicata cujuscunque indole, *Disputationibus binis antecedentibus* illustrare studuimus. Superfunt alia excutienda, naturam illorum atque varias affectiones, quas ex Apostolorum scriptis atque actis ad discimus, spectantia, quo ad pleniorum illorum notitiam perducamur. Monemus in antecessum, in hac disquisitione nobis abstinendum esse a terminis atque methodo, qua, juxta disciplinam Psychologiae, uti licet, dum inquirimus in affectiones atque actiones animi humani solitas & omnibus

A

bus communes, adeoque a quaestionibus a scholasticis motas, num se habuerint tanquam habitus infusi, qui perpetuo menti adsunt, an tanquam facultates aut animæ vires. Eis enim in devia seducimur. Ordinaria cum extraordinariis tanquam similia, quum a se differant, comparare non licet, nisi postquam de convenientia atque discrepantia illa intercedente, satis constat. Ea vero deprehenditur, observatis prius accurate horum affectionibus. Nos quoque inde ordiamur, recensituri singularia de eis in Sacris indicata aut revelata.

§. II.

PROP. I. *Non omnibus sunt indulta, sed suum cuique donum, quin & doni modulus diversus ab aliorum.* Id clarissime ex ampla descriptione 1 Cor. XII. liquet, ubi non solum διαίρεσις appellantur vs. 4. sed διαίρεσις illæ χορηγιμάτων, tam diversæ & discretæ proponuntur, ac sunt διαίρεσις munerum vs. 7. quorum quilibet suum gerebat. Neque enim omnes valebant omnia, quod diserte negatur vs. 30. *Non omnes habent dona sanationum, non omnes loquuntur linguis, non omnes interpretantur,* potius ἐκείνω cuilibet ex universa πνευματικῶν classe, Spiritus pro beneplacito & uti conducebat, dona impertiebat, quæ ἰδίᾳ propria ipsi audiunt vs. 7. & 11. Tendit eo ἐκ μέγας γινώσκωμεν ἐκ μέγας προφητεύομεν 1 Cor. XIII, 9. sive secundum id, quod nobis datum est, tum respectu muneris atque doni discretorum ab aliis, tum & respectu moduli. Sensum istum evincit usus phraseos in cap. præcedentis vs. 27. *Vos estis corpus Christi & membra ἐκ μέγας* id est juxta portionem suam, sive secundum modulum, quilibet. Diversitas illa clarissime indicatur atque urgetur Rom. XII, 5. seq. *Multi unum sumus corpus in Christo, invicem alii aliorum membra, possidentes dona differentia, διαφορά secundum gratiam largitam nobis, sive Prophetiam, juxta modulum fidei, sive ministerium ad ministrandum &c.* Qua de causa Apostoli

stoli sigillatim loquuntur de dono in ipsos, aut alios collato. Paulus 1 Cor. XV, 10. illa commemorat per quæ ipse abundantius ac reliqui Apostoli omnes, Evangelio profuerat, ut & donum Timothei 1 Tim. IV, 14. Sed hæc sunt fatis plana, nec in controversiam vocantur. Eminuit ut decebat in hac re, Sospitator tanquam supremus Dei legatus, verba ipsa Dei loquens cui Joh. III, 34. *Deus Spiritum non dederat juxta mensuram*, quale μέτρον & μέγεθος erat apud omnes inferioris ordinis legatos.

§. III.

Secundum quod observandum duco est. PROP. II. Respondisse munera diversa quæ Διακονίας 1 Cor. XII, 5. appelluntur, donis. Existimamus nos id satis ad liquidum perduxisse in *diff. de donis extraordinariis in Apostolis & Prophetis* f. 3. ubi recensiones utrorumque, ut sibi respondent, in laterculis disposuimus. Collatio illorum fidem facit munera ut vf. 28. recensentur ad charismata vf. 8-11. & vicissim relationem, habuisse. Haftenus in nostra charismatum expositione, illa simul retulimus ad munera atque ut sibi respondeant, adhibitis ex historia munerum documentis & iudiciis, declaravimus; scilicet muneri Apostolorum respondebat sermo sapientiæ, Prophetarum sermo cognitionis, doctorum sive Evangelistarum Ephes. IV, 11. fides, ut porro quarum donum cum quarto munere eadem declaratur phrasi Δυναμειῶν cum χαρισμάτων ἰαμάτων & ἐνεργημάτων δειναιῶν cum χαρισμάτων ἰαμάτων, septimum vero munus specierum linguarum, cum dono eadem phrasi designato, atque subordinato interpretationis linguarum, conspiret. Quintum & sextum munus, illud ἀντιλήψεως charismati prophetiæ hoc κωβέρησις dono dijudicationis spirituum junctum, equidem nondum attigimus. Data vero descriptione in *differt. de donis extraordinariis in Evangelistis & reliquis ministris N. T.* doni Prophetiæ f. 7. & discretionis spirituum f. 8. facile est ea inter se conferre, quoniam Prophetia sive ha-

bitus a Spiritu productus & excitatus ad ædificationem cœtus, veritates fidei vivide exponendi & applicandi, singulari modo opem ferebat membris cœtus, ut erant vel ignara, vel inertia ad bonum, opus, vel animo dejecto; discretio autem Spirituum, ad dirigendum cœtum atque ad expellendos seductores, adeoque ad gubernationem omnium, sua conferebat. Interea fatemur ob defectum monumentorum in obscuro latere, quinam in cœtibus fuerint ἀντιλήπτορες quinam κωβερνήται, an singularia munera, quibus certæ præfuerunt personæ, an cum aliis ordinariis muneribus combinata, presbyterorum nempe aut diaconorum, an singularis illorum ratio fuerit in coetu Corinthiaco, alibi non observata, & quæ hujus modi sunt aliæ disquisitiones. Parum enim lucis affert HAMMONDUS per comparationem illorum cum muneribus Episcoporum, Presbyterorum atque Diaconorum, inter quæ tanta nondum obtinuit, ac quidem postea introducta est distinctio. Cogitandum est de muneribus, extraordinariis donis nitentibus, quod neglexere plurimi, verum probe observavit, prope ad nos accedens *VITRINGA de Synag. Vet. Lib. II. cap. 3.* Aliud pro hac harmonia munerum & donorum argumentum deprehendo, in recensione operationum Authoris Charismatum omnium Dei triunius, I Cor. XII, 4. 5. 6. in qua Patri ἐνεργήματα tanquam Authori, filio Διακονίας ut domino, Spiritui Sancto charismata, tanquam proximæ causæ efficienti attribuuntur. Dei Patris opus in omnibus donis, pro ratione œconomiae S. Triados locum habuisse, vel inde confici potest, quod vs. 6. addatur de eo, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πάντιν efficiens potenter omnia in omnibus. Omnia ea propter insequentibus recensita, ut discrete in omnes distributa sunt, ab ἐνεργείᾳ Patris pendent. Quæ vero ἐνεργήματα Patris dicuntur, eadem sunt χαρίσματα Spiritus. Post enumerationem enim donorum vs. 11. subjungitur hæc verò omnia efficit potenter, ipse & unus ille Spiritus, distribuens in quemlibet ἴδια propria atque privata, sicut vult. Quum vero & Patris & Spiritus Sancti negotium atque efficacia in omnium

um

um donorum distributione locum habeant, nullæ erunt partes filii aut Domini Ecclesiæ? Illius sunt & ab ejus autoritate pendent *δικαιώματα* munera, partes autem suas habet, si cum muneribus jungantur dona, atque illa sibi respondeant. Author est munerum, ex quibus principalia quatuor recensentur Ephes. IV, 11. tanquam instituta in Ecclesiæ commoda atque communem ejus publicamque utilitatem. Verum is finis per munera nequibat obtineri, nisi ad illa redditi essent idonei ministri per dona, hinc utraque sibi respondent, illa quam Paulus pandit ratione.

§. IV.

Ne tamen huic observationi obstare videantur, quæ in *dissert. de donis extraordinariis in Evangelistis & aliis Ministris §. 6. pag. 22.* attulimus, de distinctione inter charismata, munera & *εργήματα*, ut priorem classem sigillatim constituerint dona quatuor priora, sapientia, cognitio, fides atque sanationes, utpote Spiritui sancto, adjecta ejus nominis mentione attributa, secundam autem classem quatuor postrema, Prophetia, discretio Spirituum, genera atque interpretationes linguarum, tertiam denique *εργήματα δυναμειών* ibi exposita; monemus hæc probe consistere. Eo etenim hæc non tendunt, ac si personarum S. Trinitatis operationes illa solum, sic distincta, producerent dona, atque exfularent a reliquis: sed eo, ut indicerur, cujuslibet negotium in indicatis distinctis classibus, insignite conspicuum fuisse. Charismata illa strictè dicta opus Spiritus revelabant quam maxime: cumque illud sit, ut mox ostendemus, cum creatione Spirituum, illorum ornatus per facultates & habitus rationales; operationes mentis a Spiritu exornatæ, se præbuere conspiciendas sigillatim, in dono Apostolorum, Prophetarum & doctorum, in verbo sapientiæ, cognitionis atque in fide seu animo heroico. Quam præterea filii tanquam Domini opus sit cura, in Ecclesiæ propaganda, regenda & tutanda, eluxit illa singulari mo-
do

do ex opitulationibus, gubernationibus & linguis, sicut illas exposuimus; creatrix denique Patris potentia ex *ἐνεργημάτων δυναμεῶν*, cum potestatis in omnibus suprematu. Interea rei, communio operationum, juxta œconomiam S. Trinitatis distinctarum, in conferendis atque excitandis omnibus donis, uti muneribus respondent, si conferamus quæ de illis in Sacris revelata sunt, facile declaratur. Dominium in Ecclesiam exercet Sospitator, cujus illa est peculium pretio sanguinis emtum & redemptum. Munera ad propagandam & regendam illam conducentia instituit, distinguit & distribuit Ephes. IV, 11. ad quæ apti fiunt ad illa vocati ministri, per dona, & primitus instituti per extraordinaria. Promeruit illa Sospitator, ut possint distribui in vocatos ad illa munera, id quod Ephes. IV, 9. urgetur ex vaticinio Pl. 68, 19. allegato evinciturque vs. 7. illa omnia dona esse beneficia Christi, *data est cuilibet nostrum gratia, juxta mensuram beneficii Christi.* Ut potestas & jus illa distribuendi resider in meritis ejus, sic in applicatione illorum concurrunt operationes Patris, *ἐνεργήματα* operationes potentissimæ æque ac supremæ, utpote qui, juxta nexum ratiocinii Ephes. IV. appellatur vs. 6. *Deus & Pater omnium, qui super omnia, per omnia & in vobis omnibus.* Concurrunt itidem operationes Spiritus Sancti, benignæ illæ & proximæ, in mutationibus quæ per donorum horum infusionem in animis producentur, sive Charismata, aptas reddentia facultates atque qualitates, destinatarum ad munera illa ecclesiastica, ut præstare potuerint requisita ab illis. Hujus vero conjunctæ operationis fundamentum laret in œconomia Trinitatis. Finis ejus est ut se mutuo glorificarent personæ Joh. XVII, 1. Pater glorificat filium & eotendunt ejus opera personalia Joh. XVII, 5. Spiritus Sanctus itidem in salutis œconomia occupatus est, in filio ut *θεοθεῶπιον* cum maxime exaltato, glorificando Joh. XVI, 14. Pendet gloria filii ab exsequutione negotii salutis in Ecclesia, sicut illud in consilio gratiæ prædefinitum est. Dum Ecclesiam sistit purgatam sine labe & macula, gloriosam, Ephes.

Ephes. V, 27. ipse gloriosus demum erit in sanctis suis
 2 Theff. I, 10. Igitur quo glorificetur filius a Patre & Spi-
 ritu Sancto, sive obtineatur finis in æconomia Sacræ Tri-
 nitatis intentus, requiritur ut quælibet persona suas edat
 operationes, suum præstet negotium circa Ecclesiam, &
 circa instrumenta destinata ad promovendum ejus salutem,
 & per illam ad augendam gloriam Domini & Reparatoris
 ejus, adeoque opus suum impendant, ut idonei reddantur
 ad sua munera ejus ministri: quod Pater agit exferendo sua
 ἐνεργήματα, Spiritus Sanctus applicando apud animos, parta
 a Christo dona, suis χαρίσματα. Adstruitur id ex dictis
 Christi, in promissionibus, datis in ultimis ante passiones
 cum discipulis habitis colloquiis, de beneficiis quibus or-
 nandi erant, Joh. XVI, 14. *de meis* (Spiritus ille me glo-
 rificaturus) *accipiet & vobis annuntiabit*, sive dona a me
 parta, in vos, illa vobis per charismata applicando, con-
 feret. Eousque harmonicas illas operationes personarum,
 quarum quælibet suas edit, cognoscere & explicare licet,
 atque eousque distinctio inter ἐνεργήματα, operationes po-
 tentes de suprematu testantes & χαρίσματα, operationes be-
 nignas & animum perfectiorem reddentes, apparet, & dog-
 ma de Sancta Trinitate, ista dona extraordinaria, singulari
 adstruunt documento.

f. V.

PROP. III. *Utraque & munera atque dona distincta
 fuere respectu ordinis atque præcellentiæ, pendentis cum ma-
 xime ab utilitate quam afferebant Ecclesiæ.* Quum ordo,
 & quidem bonus atque pulcher in apta sequela variorum
 consistat, isque attineat, vel tempus ex quo prius atque
 posterius oriuntur, vel dignitatem præcellentiæ unde au-
 thoritas emanat, ordo vero temporis hic exfuler, quem
 jam in *diff. de donis extraordinariis in Apostolis & Prophe-
 tis* removimus, ad alterum est attendendum. Indicarur is
 1 Cor. XII, 28. *posuit etenim Deus in coetu, PRIMO Aposto-
 los,*

Ios, SECUNDO *Prophetas*, TERTIO *doctores*, POSTEA *virtutes*,
 DEIN *dona sanationum*, *opitulationes*, *gubernationes*, *genera*
linguarum, ad quæ postrema successione indicium, non
 adjicitur. Primum, secundum, tertium, postea, dein,
 sequelæ sunt notæ, adeoque ordinis, qui inter munera lo-
 cum habuit. Vel ipsa historia munerum docet, præcellen-
 tiam autoritatis obtinuisse, dum prima comperebat Apo-
 stolis, ceteris instituentibus eligentibusque doctores, aut
 Evangelistas *συνεργῆς* comites in itineribus & sodales in labo-
 ribus, illos sacro inaugurantibus muneri & negotia illo-
 rum suis monitis, quidam & jussibus dirigentibus. Hæc
 nemo ignorat qui expendit Pauli Apostoli ad Timotheum
 & Titum aliosque Evangelistas, horumque ad illum rela-
 tiones; de quibus tot in Actis & Epistolis extant documen-
 ta. Nec hæsitandum est ad gradus Autoritatis quos di-
 stinguimus atque defendimus, ac si eis fundamenta subster-
 namus incaute Hierarchiæ in Ecclesia, plurimis, propter
 abusum in Papatu, exosæ. Obtinuit illa in Ecclesia Apo-
 stolica, sed sancta & naturæ Evangelii conveniens, pendens
 a diverso modulo donorum extraordinariorum, quibus ces-
 santibus & ipsa cessavit, sic ut color omnis recenti Hierar-
 chiæ ex Ecclesia Apostolica quæsitus, omnino sit peregrinus
 atque merus fucus. Quanquam autem limites præcellen-
 tiæ & autoritatis in diversis atque omnibus muneribus,
 mensurare ob defectum monumentorum nequeamus, ad-
 sunt tamen quædam indicia, ex quibus ratio ordinis mune-
 rum in recensione Pauli I Cor. XII, 28. etiam ubi non ad-
 jecit signa præcellentiæ & successione, potest intelligi.
 Diserte profiteretur I Cor. XIV, 5. *qui vero prophetam agit,*
scilicet secundo a nobis *precedente dissertatione*
§. 7. indicato, *major est, vello quam qui loquitur linguis.*
 Autoritatem Evangelistarum supra illos, quibus ordina-
 rium in Ecclesia docendi munus erat concredutum, qui ta-
 men non erant destituti a donis sanationum isto tempore
 Jac. V, 14. & quæ ad opitulationes ac gubernationem per-
 tinebant, curabant tanquam Presbyteri & Diaconi, cernimus
 ex

ex actis a Timotheo & Tito Evangelistis vocantibus, instituentibus, & impositione manuum (qua ut mox videbimus dona communicabantur) inaugurantibus ad talia munera doctores 1 Tim. III, 10. IV, 6. V, 1. in primis 22. 2 Tim. II, 2. Tit. I, 5. Præcipua ratio in utilitate, e muneribus in Ecclesiam redundante, quærenda est. Illam late deducit Paulus 1 Cor. XIV, 5-14. dum ad cætum verba facientem Prophetam, loquenti linguis, nisi is effata explicaret, præfert, addita causa, quam deinceps urget, quoniam cæcum ædificaret adeoque utilitatem promoveret. Conveniens hoc erat scopo Apostoli, qui Corinthiorum prava iudicia corrigere studebat, dum illi aut sane inter illos non pauci, loquentes linguis peregrinis, aliis, alia in coetu munera curantibus præferebant; unde discordiæ semina. Hinc postquam explicaverat ordinem munerum, rationem præcellentiæ tradit. Comparatio quoque, quam inter corpus humanum ex diversis, ad diversos usus idoneis membris, constans & coetum, quem diversis instructi donis constituebant, *vs. 21. seq. cap. XII.* instituit, munerum æque ac donorum distinctionem arguit. Secernit enim membra imbecilliora, minus decora & honorata ab oppositis, ut quamvis utilitatem & necessitatem omnium agnoscat, præcellentiam tamen quorundam præ aliis insinuet. Sic oculum distinguit a manu, caput à pedibus. In donis distinguendis idem agit & *vs. 31. Τα ὑψηλότερα* præferenda censet, qualia erant, ex quibus utilia plurima in cætum redundabant. Apostolorum munus cum dono, sicut in præcedentibus dissertationibus hæc ad liquidum perduximus, proderat maxime universæ Ecclesiæ, propter cætum & boni ordinis ubicunque locorum institutionem. Prophetarum dona & munus augebant cognitionem, cuius fructus se diffundebat ubique. Evangelistarum munus & dona vergebant in augmentum cætus, dum nova adducebantur membra & termini regni Christi propagabantur. Ex virtutibus & sanationibus pendebant malorum imminentium averruncationes. Prophetia ædificabat cætus specia-

B

les

les & credentes in illis. Spirituum discretio coercerat se-
ductores. Linguae coram incredulis accedentibus testimo-
nium dabant de Deo in cœtu præsentis. Metiri hinc licet
usum atque commoda ampliora aut restricta magis inde
exorientia.

§. VI.

PROP. IV. *Poterant hi gradus augeti, sic ut ad al-
tius & præcellentius cum munere donum pertingerent, in mi-
nori exercitati.* Hujus ascensus documenta deprehendi-
mus tum in historia, tum in monelis & promissionibus.
Specimen historia præbet in promotione Pauli & Barnaba
ad Apostolatam, in quo tantum fastigium Paulus conscen-
dit, ut Petrus de dono *λόγος σοφίας*, quo vestitus erat, ad-
mirandus 2 Pet. III, 15. & ut ipse de sua præ aliis emi-
nentia 1 Cor. XV, 10. testari potuerit. Erat uterque in
choro Prophetarum & Doctorum, Antiochiæ subsisten-
tium Act. XIII, 1. 2. & destinati ad Apostolatam a Spiritu
Sancto cum essent designatique ejus oraculo, solemniter
sunt inaugurati vi. 3. 4. Illustrat hoc factum ordinem
istum munerum quem 1 Cor. XII, 28. legimus *instituit in
Ecclesia Deus πρώτων Apostolos, δεύτερον Prophetas.* Ex
Prophetarum enim & doctorum classe, hi, ad altius evecti
fuerunt cum munere donum, reliquis Simone dicto Nigro,
Lucio Cyrenensi & Manahemo, in Prophetico munere ul-
terius versantibus atque uni cœtui operam suam addicenti-
bus. Nec absque causa fieri existimo, in indice horum
Prophetarum, Barnabam primo, alterum vero electum in
Apostolum Saulum, ultimo loco recenseri, interjectis reli-
quis. Post reliquos enim ad Christi fidem adductus Sau-
lus, respectu temporis conversionis suæ atque laborum in
Ecclesiæ commoda impensorum, junior atque minor erat
aliis, his vero non obstantibus, præferebatur Spiritus San-
cti autoritate, qui in vocacionibus hominum ad munera,
& donorum suorum distributione, se agere libere & *διπρω-*

ροπωλήματος, ut plurimum testatus est, atque iungebatur Barnabæ, cuius insigne elogium in antecedentibus Act. XI, 24. legimus. Nisi quoque talis ascensus obtinuisset, simulare nequitiam potuissent Apostolatam, seductores reprehende ist 2 Cor. XI, 13. Apoc. II, 2. Augmenti donorum excellentiorum imperrandi spes, erat apud fidos, sive operarios, sive confessores, ab Apostolis alta, sic ut ex eorum monitis patefcat, insolitum id isto tempore non fuisse, sed frequens. Utraque horratio 1 Cor. XII, 31. postquam donorum atque munerum ordo erat indicatus, ζηλετε δε τα χαρισματα τα κρείττονα, contendite per emulationem ad dona optima, & 1 Cor. XIV, 1. ζηλετε δε τα πνευματικά μάλιστα δε να προφητεύετε, contendite per emulationem ad spiritualia, potissimum vero ut possitis prophetari, fidem facit incrementa talia fuisse crebra. Quanquam enim illud commendatum studium Prophetiæ, ut nexus docet, non attingat superiorem gradum Prophetiæ, sed inferiorem a nobis distinctum & 1 Cor. XIV, 3. descriptum, consistentem in habitu sermonibus sacris coerum ædificandi, in primo tamen loco κρείττονα omnia, unde & optima dona, in objectum voti atque studii ponuntur, id quod factum non fuisset, si nequivissent per gradus impetrari.

§. VII.

PROP. V. Collata sunt sepe cum muneribus etiam dona, manu impositione. Significantissimus tempore Sospitatoris atque Apostolorum fuit ritus impositionis manuum, unde & ad doctrinæ Christianæ capita, institutio de illo refertur. Ebr. VI, 2. Ne a proposito nostro divagemur ablegamus Lectorem ad SPANHEMIUM de hoc ritu Opp. Tom. II. pag. 87. aliosque, qui eum illustrarunt. In ordinatione Barnabæ & Sauli ad Apostolatam, ipsis decreto Spiritus Sancti demandatum, ad quem promovebantur a munere Prophetarum, ille obtinebat Act. XIII, 3. Administratus videtur a Prophetis antea recensitis, præter il-

B 2

los

los enim non videmus quemquam, cui Spiritus Sancti decretum potuerit reddi manifestum, dum altiori munere atque dono vestitus in isto cœtu nemo aderat, Prophetarum autem erat recipere Apocalypses. Fortassis juncta plurium vota idem valuerunt, quod unius, sublimiori dono præditi, alias. Et licet ibi non dicatur donum Apostolicum isto temporis articulo electis fuisse conceditum, munus tamen exordium sumsit, cui ut ostendimus *Propos. II.* respondere debuit atque respondit donum. Impositæ quidem fuere manus, dona jam possidentibus, quæ conveniebant novo muneri, ut discimus ex Act. VI, vs. 6. collato vs. 3. quo symboli instar essent donorum confirmationis; itidem in sanatione ægrotorum Marc. XVI, 18. Act. XXVIII, 8. &c. dum beneficium, non vero donum concessum est, verum ut ritus quidam, variarum rerum signum pro re nata esse poterat, sic & hic fuit & quidem in inauguratione ad novum munus, indicium, requisita ad id dona, a Spiritu, eo quidem momento, electo communicari. Extra omne dubium id ponit Pauli ad Timotheum hortatio 1 Ep. IV, 14. *Ne desinito curare DONUM, DATUM tibi per prophetiam CUM IMPOSITIONE MANUUM PRESBYTERII.* Prophetiam secundi ordinis, quæ in sermone ad ædificationem composito, & donum Timothei, id quod Evangelistis compatebat, notare, in præcedente tractatione evictum dedimus. Manus vero a Presbyterio ipsi fuere impositæ. Nequidem ipsum Paulum interfuisse huic sodalitati diserte ibi indicatur, quod tamen fit 2 Tim. I, 6. & VI. ubi de *dono Dei* quod erat in Timotheo, *δια τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου.* per impositionem manuum. Id ideo monemus, quoniam a plurimis, donorum horum is character ponitur, quod ab Apostolis solis, sive per illorum ministerium, in alios sint collata. Obtinuit id quidem in primis rei Christianæ initiis, Evangelio Samaritaniam perlato, dum solemniter a Petro & Johanne, manibus credentibus & baptizatis impositis, hi participes redditi sunt Spiritus Sancti, sed quum nemo adesset, hujus beneficii compos factus Act. VIII, 14 - 17. Postea

ista id factum esse non legimus. Constituere quidem Apostoli ministros in Ecclesiis, ipsorum cura planctis. Respondebant muneribus dona, verum inde non sequitur, solum vocantem ad munus Ministrum, simul ipsum donorum reddidisse participem. Recipiebat illa in inauguratione. Verum ea fiebat per exhortationem & impositionem manuum Presbyterii, ut locus modo adductus planum reddidit, aut etiam jejuniis, precibus & impositione manuum, ab aliis in coetu praesentibus Doctoribus Act. VI, 16. XIII, 3. Sic ut donorum collatio, non adeo resederit apud unicum Apostolum, aut alius classis doctorem, sed apud Ecclesiam aut illam representantes doctores, & facta sit post spiritualia exercitia, jejunia, supplicationes, exhortationes & manuum impositionem. Dicitur vero 2 Tim. I, 6. explicatur per alterum 1 Ep. IV, 14. Poterat Paulus factae a se impositionis sigillatim mentionem facere, non quasi hoc pacto negare vellet, adfuisse simul alios, quod jam in prioris epistola Timotheo in memoriam revocaverat: sed ut ipsum, quum mori esset vicinus in ultimis vinculis, merneret, de arcta quae illos interceperat necessitudine, de amore mutuo, quod per totam facit epistolam; ut eo Timotheum excitaret ad fidelitatem in munere, post suummet excessum ex hac vita, atque ne inde dimoveretur per martyrium Pauli instans. Non obstat 1 Tim. V, 22. *Manus ne cito nimis alicui imposito*, scriptum ad Timotheum, quem suo loco Ephesi Paulus reliquerat, ut coeptum ab ipso opus ulterius perficeret & in coetibus ministros, Presbyteros cum Diaconis constitueret. Etenim nullo patet indicio, collata in illos fuisse dona extraordinaria, hoc ritu. Et si vero videatur simile, adhaesisse Presbyterio dona minoris usus in Ecclesia, ut sanationem aegrotorum ex Jac. V, 14. discretionem Spirituum ex 1 Joh. IV, 1. & prophetiam secundum ordinis ex Rom. XII, 7. & 1 Theff. V, 19. 20. nondum tamen ex monito isto potest inferri, solum Timotheum absque sodalicio hunc exercuisse ritum, atque privato ejus ministerio, non concurrentibus aliis Presbyteris,

teris, aut coetus jejuniis & precationibus, collata esse dona illa, cum nequidem id, ut modo ostendimus, solo ministerio Pauli factum sit. Eodem modo Act. XIX, 6. de prophetantibus & linguis loquentibus discipulis Johannis, post impositionem manuum Pauli, quod Ephesi contigit, non opus est; ut solum & privatum ejus ministerium id præstitisse opinemur, cum ibi jam plantatus atque suis Presbyteris instructus floreret cæterus. Diximus autem sæpe id obtinuisse, ut manibus impositis donorum collatio sit sequuta, non autem semper & ubivis. Absque diserto testimonio istud, quod a non paucis fit, asserere non audemus. Quædam, quæ protulimus adsunt exempla. Largiremur etiam, id obtinuisse dum dona cum muneribus, solennem requirerentibus inaugurationem, fuerunt conjuncta. Requiebant autem illam, si necessitas exigeret, ut tanquam tali vestiti munere aliis innotescerent, quo hi illorum verbis & factis fidem adhiberent, quam cæteris quin denegare eis potuissent. Evangelistarum & *αποστόλων* Apostolorum non exiguus erat numerus, verum illos omnes solenni inaugurationis fuisse ritu, nil est quod suadeat, dum in Apostolorum comitatu satis innotescerent; Timothei vero inauguratio ea propter requisita fuisse videtur, quoniam tanquam Pauli vicarius, Ephesi commorabatur, & curæ ipsi concredita atque demandata, documenta publica præ se ferre debebat, ad fidem acquirendam, quæ præstabat sollemnis inauguratio. Erant præter munera illa, connexa cum donis quæ ubivis locorum Ecclesiæ sive plantandæ, sive plantatæ necessitas exigebat, alia, in certis rerum circumstantiis requisita. Non semper aut ubivis locorum exigebatur Prophetia primi ordinis, in revelationibus rerum abstrusarum aut sublimium futurarumque consistens: Præterea, quod mox ostendemus, dona non aderant perpetuo, aut illis præditi, ea non poterant exferere continuo. Hinc sollemnis inauguratio ad talia non requisita videbatur munera, atque gratia illa conferens, ad ritus, qui ob hominum debilitatem adhibentur, non erat adstricta. Sic nulla specie potest evinci

Aga-

Agabum Act. XI, 28. XXI, 10. & quatuor filias Philippi Evangelistæ, vaticinantes, in Prophetam aut prophetissas, cum maxime quoniam mulieribus in cætu silendum erat 1 Cor. XIV, 34. 1 Tim. II, 12. solemnî inaugurationis ritu, aut manuum impositione, fuisse constituras. Hæc eum in finem observamus, quoniam neglecta utraque restrictio, manuum impositionem non semper requisitam illamque non a solis Apostolis peractam fuisse, varii promanant errores.

§. VIII.

PROP. VI. Ad conservationem & augmentum istorum donorum, sua conferebant, cura a possidentibus atque desiderantibus cum studio impensa. Videri possit, ob donorum præstantiam, qua excedebant limites hominibus cæteroquin positos atque illorum modulum, præter supernaturales operationes, nihil in eis producendis obtinuisse, illisque præditos, machinarum instar se habuisse. Verum cum in ple-
rorumque elucidatione jam ostenderit, usum facultatum rationalium animæ, ut exferuntur per intellectum, voluntatem atque conscientiam sui ipsius, nec quievissè multo minus cessasse, dum horum donorum effectus in operationibus edebantur, nunc specialius studia illa cum exercitiis atque mentis actionibus explicabo, quibus mediantibus vel aucta vel conservata sunt.

I. Ad indicandum studium requisitum ut conservarentur, Paulus adhibet emblemata ἀναζωπυρώσεως 2 Tim. I, 6. *cujus rei causa in memoriam tibi revoco ut excites donum Dei, quod in te est, per impositionem manuum mearum, cui responderi moneta 1 Tim. IV, 14, μή ἀμελεί τῷ ἐν σοὶ χάρισματι, ne abjicito curam illius, quod in te est, doni; ad indicandum autem studium in donorum augmentum impendendum utitur emblemate Ζῆλος 1 Cor. XII, 31. Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα.* Prior vox ab igne petita, qui adhibitis stibellis atque additis alimentis nutritur. Sym-
bolo

hilo isto natura curæ, quæ abjicienda non erat, singulari declaratur modo. Qui rei haber curam, illius cogitationes in eam sunt defixæ, is discrimina quibus exponi potest aut exposita est, observat, is remedia noxæ opponenda quærat atque illa diligenter adhibet. Verum in ἀναζωπυρωσει ulterius studium indicatur, ne scilicet res deteratur, sed, additis nutrimentis, in pristino vigore conservetur. Naturam domini in Timotheum Evangelistam collati, fidem, lustravimus ostendimusque illam consistere in animo heroico, pericula omnia, propter Jesum subeunda, spernente atque fidelitatem summam Domino in maxima fiducia præstante. Si observemus animi sensationes & dispositionem, quas istæ virtutes animi excelsi, fidelis atque fiducia in promissionibus pleni requirebant, facile esset inde deducere, quæ meditationum in hac cura fuerint objecta, respectu discriminum ex variis tentationibus oborientium atque ex illis minantium malorum, ut & mediolorum quibus ne vacillaret aut fatisceret, præservari poterat. Verum malum illa deinceps ex ipsis deducere facris,

2) Ζήλος quem suadet, tanquam medium ad donorum incrementa, studium notat ex æmulatione ortum. Uti desideria complectitur enixa, quo causæ sospitatoris aliquis prodesse eamque suis laboribus promovere possit, sic quoque observationem exempli studii aliorum, qui ad κρείττονα pertigerant, commodorum Ecclesiæ quæ procurabant & modi per imitationem, illorum vestigia premendi. Exercitia huc spectantia itidem, ex hortationibus in sacris occurrentibus, indicabo,

3) Cura cum æmulatione, in Apostolorum scriptis commendatæ, respectu studii impendendi, ex hortationum variarum indole & finibus penitus possunt cognosci. Observo hunc in finem, occurrere multas hortationes, quæ, quanquam extra nexum spectatæ, laxè intelligi solent atque applicari, ad Christianorum, ut membra sunt cætus, statum & of.

& officia, tamen per nexum atque scopum Sacrorum Scriptorum, stricte attinent negotia doctorum coetus illorumque determinate munus & dona præerordinaria, quibus instructi erant ac resultantia inde officia. In epistolis ad Timotheum atque Titum, pastoralem ut audit Theologiam contineri, statuitur ut plurimum, unde & laudabili studio virorum Doctorum illa inde derivata ac in systema redacta est. Si vero recte attendamus ad muneris extraordinarii Evangelistarum naturam, ut & ad doni quod cum illo erat connexum, fidei scilicet, inspectis Epistolarum istarum contentis apparebit: sensum directe ad donum istud cum munere referendum esse & solum per translationem ad munus donaque solita atque ordinaria posse applicari. Præterea observari meretur, sæpius occurrere quæ ad doctores primorum coetuum directe spectant, adeoque dum hortationes proponuntur, illis nobis fisti, quæ sive curam istam, sive æmulationem attinent. Distinguius talia dicta ab aliis, dum diserte compellantur doctores ut 1 Petr. V, 1. dum donorum atque usus illorum fit mentio. Rom. XII, 4. ff. Eph. IV, 7. seq. 1 Pet. IV, 11. dum Apostoli de se ipsis sigillatim, quod Paulus crebro facit, loquuntur, dum cooperariorum mentionem faciunt, scribendo in plurali *ἡμῶν*, quod in utraque ad Corinthios frequens est, denique dum sibi suisque *συγγενῶν* opponunt Pseudapostolos & doctores ut Phil. III, 2. seq. 17. seq. IV, 1. & 3. & seq. Characteres hi sunt pluri. Suspicior autem multo plura in Epistolis Apostolorum contineri, quæ stricte atque proprie ad doctores coetuum spectant, sed tam clare non sunt distincta, ac modo indicata. Illi enim proximum curarum Apostolorum, dum hi aberant a coetibus, erant objectum, sicut angeli Ecclesiarum in septem Epistolis Apocalypticis, & dummodo hi rite atque fideliter munere suo fungerentur, commoda Ecclesiæ erant in vado. Verum ista ampliorem discussionem exposcunt, quam nunc non licet instituire, dum eis, quæ clara sunt, solum inhærebimus.

C

4) Ex

4) Ex datis iudiciis periculum facturi sumus, quousque studia atque exercitia, ad conservationem atque augmentum donorum facientia, posimus declarare. Respectu omnium, ad conservationem faciebat fidelitas in illis adhibendis ad commune bonum, Ecclesiae commoda. Comparantur ea propter illa possidentes, dispensatoribus & œconomis 1 Cor. IV, 1. 2. 1 Petr. IV, 10. Horum curæ summa est, ut bene sit domui & cujusque necessitatibus consulatur, per subministracionem eorum, quæ ex concedendo, indigentias supplere possunt. Qui id observat, is fidelitatem præstat, quæ officii summa est. Idem, symbolum membrorum unius corporis sub uno docet capite, illud sic explicante & urgente Paulo 1 Cor. XII, 12. seq. Ephes. IV, 15. 16. Hinc cum necessitatibus & commodis Ecclesiae, semper ob oculos versari debebat, indoles doni atque muneris. Sicuti enim diversa erant, sic & diversimode in usum coetuum erant impendenda, alio quidem modo Apostolicum, alio Propheticum, alio reliqua. Planum, quid e re cujusque fuit, redditur, siquidem speciatim omnia, ut a nobis distincta sunt, considerentur. Ut Prophetia secundi ordinis, cum linguis & interpretatione, fideliter in Ecclesiae bonum impendenda erat, id sigillatim docetur 1 Cor. XIV. Alterum, quod generatim omnes donis istis instructos attinebat, exercendum, erat arcta unio per vinculum charitatis. Id urgetur in locis antea adductis, symbolum corporis ex diversis membris constantis, adhibentibus. Cohæreere dicitur corpus per suas juncturas. Eph. IV, 16. Negligi atque omitti poterat istud officium, in muneris & donorum detrimentum, duplici modo, sive aliquis suum donum nimis seque ipsum eapropter supra alios efferret, hosque, alio dono aut munere ornatos, despiciari haberet, sive ex nationis odio alienigenas contemneret iisve sua dona cum muneribus invideret, dum pagani ad contemptum Judæorum, hi vero ad illis invidendum, erant proni. Inde autem discordiæ, rixæ atque *σχίσμα* in corpore mystico. Concordiam respectu utriusque, Apostoli *πνευματικός* incul-

inculcant. Ne sequis efferret doni causa, cum aliorum contemptu, graviter monent Rom. XII, 3. atque ut, sive Judæi sive Græci essent, se mutuo, sine odio nationum, amarent, inculcant 1 Cor. XII, 13. ff. Ephes. IV, 2. seq. Nec omitendum est tertium, quod sobrietatem attinget & animi moderationem, in eis quæ curas mundanas atque appetitum varium, quem concupiscentiæ cum affectibus excitare valebant, spectarunt. Illam cum vigilantia, quæ discrimina minantia observat, commendant donis instructis 2 Tim. IV, 5. 1 Pet. IV, 8. coll. 10. V, 8.

5) Percensibimus nunc speciatim dona, incipiendo a postremo. Linguas cum Interpretationibus, derepente infusas fuisse, sic, ut extasim mentis passi a Spiritu quasi correpti, hoc dono præditi, illud exponentes monuimus. Usus facultatum rationalium mentis, quem in omnibus obtinuisse defendimus, huic adfuisse asserere non audemus. Exercitia vero huc contulisse eo minus, quoniam in exemplis eo præditorum, inopinatum quid, Spiritu illabente observamus Act. X, 44-46. XIX, 6. unde & Apostoli hoc dono instructi, in prima die Pentecostis, Judæis ignaris videbantur esse ebrii Act. II, 13. De dono sanationum pauca asserere licet. Destituimur exemplis eo præditorum ut & altero δυναμῶν, nisi quod priora attribuantur Presbyteris coerus Jac. V, 14. 15. collato 1 Joh. V, 14-17. ubi preces fundende ut æger relevaretur, suadent precationum exercitio hoc donum fuisse conservatum, in primis studio illarum, in quibus, attentione adhibita, observabatur, an esset δέησις ἐνεργημένη, operatione valida Spiritus infusa & orans, ad illam fundendam desuper excitatus. Quod attingit discretionem spirituum, exercitium in observandis actibus, moribus, & ut sospitator dicit, fructibus Matth. VII, 20. collatis 15. & 22. ad acquirendum habitum aliquid contulisse, sicut ex natura hominis, hujusque actus fluit, dum characteres seductorum in doctrinis, verbis, moribus, vestitu, gestibus aliisque signis dignoscendi, con-

veniebant, sic ex moneta patescit, dum 1 Joh. IV, 1. diffidentia suadet, ne facile cuilibet Spiritui crederetur, & discernendos esse spiritus, injungitur. Idem exercitium 1 Theff. V, 21. πάντα δοκιμάζειτε commendari, nexus docet. De Prophetarum primi ordinis exercitationibus, iidem ob defectum documentorum & experientia, specialia afferre nequimus. De Agabo, filiabus Philippi atque Johanne Apostolo & Evangelista, quibus apocalypses veritatum sublimium & rerum futurarum obtingere, præter id, quod ipsis revelatio cælitus concessa fuerit, nihil legimus. Plura tamen de Evangelistis & Apostolis sunt nota.

6) Evangelistarum cura atque studium ad conservanda dona, ex Paulinis hortationibus, propositis Timotheo atque Tito, apparent. Redeunt enim illæ omnes, partim, ad istam curam rite & solerter exserendam, partim, ad regulas prudentiæ in officio. Brevissimum omnium adeoque & istorum compendium occurrit 1 Tim. I, 18. *bonam militare militiam, & retinere fidem cum bona conscientia.* Fortis animus, discrimina vincens orientia, cum militia confertur, quod & alias fit 1 Tim. VI, 12. & 2 Tim. II, 3. Fides, uti sanam doctrinam Evangelii, in qua Timotheus a Paulo erat institutus, sic & fidelitatem, uti in antecedentibus docuimus, notat, qua, neque per illecebras neque per pericula, se patiebatur dimoveri a cepto proposito. Utrumque in culcar, fidem puram, juxta scripturarum testimonium & Pauli doctrinam 1 Tim. IV, 6. 2 Tim. I, 12. III, 14-17. Tit. I, 9. II, 1. fidelitatem vero 1 Tim. IV, 16. VI, 14. 15. 20. 2 Tim. I, 14. 15. quorsum exempla faciunt apostatarum, quæ fugienda esse graviter monet 1 Tim. I, 6. 19. 20. IV, 1. seq. VI, 3. 4. 5. 20. 2 Tim. II, 16. seq. III, 1. seq. VI, 14. Tit. I, 10. seq. III, 10. 11. Bonam vero conscientiam, studio bonorum operum & virtutum impetrandam, commendat 1 Tim. I, 6. IV, 12. VI, 11. 2 Tim. II, 22. III, 16. 17. Tit. II, 12. 14. III, 8. 14. Media hunc in finem atque exercitia præscribit. Eo refert memoriam perpetuum

num & resurrectionis Sospitatoris ejusque recordationem crebram 2 Tim. II, 8. cujus merita, quæ tam graphice describit 1 Tim. I, 15. II, 5, 6. Tit. II, 14. amorem animo poterant ingenerare, cujus præterea exemplum, ad sequelam poterat excitare. 1 Tim. VI, 13. adeoque studium fidelitatis acutere, cujus denique gloria post resurrectionem & reditus futurus in gloria, fiduciam poterant confortare 2 Tim. I, 10. IV, 1. Porro ad media ista reputanda est recordatio hortationum, ipsis propositarum, in inauguratione ad munus & in donorum collatione, quas Paulus Prophetias vocat, eapropter prolatas 1 Tim. I, 18. IV, 14. 2 Tim. I, 6. In illis enim, quæ ad muneris rectum exercitium requirebantur, incultata fuerant & recordatio illa, ansam subministrabat explorandi, quinam forte adessent defectus emendandi. Addit Apostolus imitationem, sui, quo præluxerat, exempli, in quo virtutes Evangelistarum singulari radiabant modo 1 Tim. I, 12. seq. 2 Tim. I, 11. seq. III, 10, 11. Inter exercitia autem, præter fugam conversationis cum Pseudodoctoribus, in apostasiam pronis, in locis superius adductis & evitacionem vitiorum, quibus illi se contaminabant 2 Tim. III, 2 seq. commendat abstinentiam a negotiis ad quæstum facientibus 2 Tim. II, 4. seq. utpote quæ, animum poterant occupare nimis, illum ad avaritiam pellicere, omnis mali fomitem 1 Tim. VI, 6. seq. cujus qui ducebatur studio, oneribus ferendis & malis perpetiendis Evangelii causa, reddebatur impar, atque ineptus ad animum testandum heroicum, in Christi causa agenda. Pusillus enim, non magnus apud lucri sordidi cupidum, residet animus, qui in tentationibus ad defectionem a confessione proclivis redditur, meru damni terreni. Concinnat his, quæ Apostoli cæteroquin de se suisque *συνεργοῖς* sive Evangelistis restantur, quando famam convitiis Pseudodoctorum læsam, tuentur. Brevibus verbis, sed nervosè, illam curam cum exercitiis complectitur 2 Cor. IV, 1. 2. *Quapropter etiam cum tale munus geramus, quæ divina erga nos est misericordia, non defetiscimus, sed repudiando occultas*

tas turpitudines, nos callide non gerimus neque verba Dei fallaciter tractamus. Studium proficiendi quin profectus manifestos reddendi, iidem commendatur i Tim, 15. 16. quod consistebat in exercitio virtutum, ut exemplo omnimodo præluerent piis vs. 12. in usu mediorum, cum cognitione augmentum habitum, omnibus muneris partibus feliciter defungendi vs. 13. in recordatione monelarum inaurandis propositarum vs. 14. & in attentione ad semet ipsos & ad suum opus vigilante, quo defectus suos observarent atque emendarent vs. 16.

7) De Apostolorum cura & exercitiis, ex Paulinis iidem quædam addiscimus, facientibus ad conservationem domini sapientiæ, per quod inspiciebant, præ aliis clarius, nexum convenientem viarum Dei, & apti erant, ad inveniendum media maxime apta atque commoda, ad Ecclesiæ florem. Refert eo Paulus studium & exercitium patientiæ in rebus molestis. Exantlandæ erant ærumnæ multæ promovendi Evangelii causâ. Indicem legimus 2 Cor. VI, 4-10. XI, 23. XII, 10. Et quanquam illæ Paulum sigillatim attingant, suam tamen portionem in afflictionibus reliqui, uti Christus prædixerat, fenserunt; quod ex Johannis patet exemplo Apoc. I, 9. Quo vero ad illas perferendas redderentur magis idonei, voluntariis se ultro exposuere molestiis, ut istis exercitiis habitum acquirerent, in sustentandis eis, quæ providentia imponebat. Faciebant eo abstinentiâ a rebus licitis atque victus causâ suscepti labores, quem ex stipendiis, ab Ecclesiis collatis, potuissent acquirere. Sic Paulus Corinthi exercebat opificium *σκηνοποιίας* 1 Cor. IX, 7. 12. 15. 18. vel aliunde sustentabatur 2 Cor. XI, 7-9. Idem agebat Ephesi Act. XX, 33-35. In utraque urbe ditissima, ad amoliendam a se & Evangelio invidiam atque calumniam, vitam diesque, docendo tamen strenue per plures menses, transegit in inopia. Hoc continentiæ & abstinentiæ spontaneæ studium, cuius specimen indicat 1 Cor. VIII, 13. appellat corporis proprii *ὑποπίστεισθαι* & *δολαγωγίαν* 1 Cor. IX, 27. qui.

quibus, tanquam in lucta devictis & tanquam servis catena ligatis & ductis sensibus corporis, iis imperabar. Sensus enim corporis, ubi praevalent, tanquam lex peccati in membris Rom. VII, 23. impediunt sensum amoris Dei & Jesu Christi, cohibent meditationes, quas sapientia Apostolica exigebat, sive ad inspiciendam convenientiam in viis Dei, sive ad consulendum Ecclesiis plantandis & plantatis, pro re nata, quam obrem & *puris corde* Matth. V, 8. promittitur *quod conspiciant Deum*, qui conspicitur in iis, in quibus se manifestavit, operibus, viis & verbo; Replent quoque cor amore mundi, quo in ærumnis defetiscitur. Alterum, in quo Apostolicum exercitium ad sustentandum donum consistebat, erat æternitatis meditatio cum excitatione desideriorum, ut eo mox transferrentur, absoluto opere, ad quod Deus illos destinaverat. Testimonium de hoc studio legimus Phil. I, 21. 24. *ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλύσασθαι* *vivido ducor ad dissolutionem affectu.* Talibus enixis, ad vitam beatam transeundi, desiderijs, prius studium acuebatur; vilescabant in judicio magis ac magis res hujus mundi, atque cupiditates reprimebantur, *ut illa quæ lucri instar fuerant abstinentia, pro damno haberentur* Phil. III, 7. seq. ut & ipsa cum periculis mors, utpote medium ad transitum exoptatum, pro beneficio reputaretur 2 Cor. IV, 10. 18. Sic præcipua obstacula doni & muneris Apostolici, his exercitijs removebantur. Addimus studium demissi animi, nec sibi ob rem bene gestam placentis, quam ob rem gloriationem, tanquam Pseudapostolorum vitium, toties, cum maxime in 2. ad Corinthios epistola, detestatur, neque causam *gloriandi, nisi in sola cruce Jesu Christi superesse* asserit Paulus, *in qua mundus ipse, & ipse mundo erat crucifixus.* Gal. VI, 14. Stultitia summa, quam elatus animus servi prodir, obest sapientiæ 2 Cor. XI, 18. XII, 11. 12.

8) Patet hinc, quanta & quam præterordinaria atque supernaturalis fuerit Spiritus Sancti in his donis operatio, neutiquam tamen cessasse usum facultatum rationalium mentis



mentis, apud illis instructos, dum meditationes & exercitia
runtum contulere, ad illa conservanda, augenda & ad suos
fines adhibenda. Intelligetur vero id dilucidius, dum na-
turam harum operationum Spiritus Sancti, ut ab aliis di-
stinctæ fuerunt, lustraverimus.

§. IX.

PROP. VII. *Præsentia non semper adevant dona, verum
sistebantur a Spiritu, dum erat e re Ecclesie, & poterant
alias abesse.* Singularis utilitatis est hæc observatio, ad ju-
stum conceptum formandum de horum donorum indole.
Qui meras, sub donis his, machinas fuisse existimat eis
præditos, is absentiam illorum vix concipit. Alia docet
penitior rerum consideratio, ut ex sacris haurienda est.
Lustrabimus, sed ut antea ordine retrogrado, dona,

1) Si linguas spectemus, ecstasin mentis, quæ huic ad-
hæsit dono, ut ostendimus, illo inopinato illabente, nemo
erit, qui vel suspicabitur, statum illum durasse perpetuo, sed
mentem, dum alia negotia erant perficienda, rediisse. Ad-
dimus, viguisse hoc donum, ut in signum esset incredulis
1 Cor. XIV, 22. ei vero neque semper adfuere, neque per-
petuo in coetu præsentis. Nullius adeoque utilitatis ista
mentis & linguæ fuisset dispositio, incredulis & quidem
convincendis atque ad fidem perducendis, absentibus. Ea-
dem ratio valet circa interpretationem. Dum linguæ ces-
sabant, nec audirentur in coetu, non exigebatur, ut inter-
pretatione illas & prolatos fonos exponens, esset præsto.

2) De discretione spirituum idem asserere licet. Arcē-
bat illa a coetu seductores & hypocritas. Si in quolibet
coetu fuissent eo instructi, aut donum hoc præsens perpe-
tuo, apud ordinem cui competebar, non potuissent simulati
homines & falsi fratres Ecclesiis nocere. Noxæ autem illa-
ræ, crebram mentionem deprehendimus, coetui Corinthia-

co,

dum bona conscientia perdita est, obstat, ad quam in discrimibus, deficientes alliferant.

6) Apostolorum denique spectamus donum. Id quod in illo & sapientia, in qua consistebat abierat in habitum, immutabile quidem erat, verum id, quod in novo consistebat influxu Spiritus Sancti, dum occasiones emergebant, in quibus sapientia erat ostendenda, intercipiebatur. Errores cum vitiis, in quæ inciderunt, ut homines erant, istis quidem in momentis, donum illud abfuisse, manifeste docent. Dum Petrus simulate agebat Antiochiæ Gal. II, 21. 22. & ad Paganos non ingrediebatur, quantumlibet diu antea, viso coelitus oblato, edoctus erat Act. X, 10. seq. dum & Saulus atque Barnabas, circa eligendum sodalem in itinere, non sine vehementi animi commotione, secessionis ab invicem factæ causâ, rixabantur Act. XV, 39. sane cessavit id donum, quo alias illorum dirigebatur iudicium, circa illa, quæ e re erant Ecclesiæ. Quantum impendatur studium, ad hæc facta emollienda, neutiquam tamen eo conficitur, operationes Spiritus Sancti, sapientia, mentes Apostolorum ornantis, tunc adfuisse æque præsentis atque æque conspicuas, ac quidem alias. Nihil quoque patitur aut perdit causâ religionis, si, ut exigunt adducta exempla clarissima, statueretur, potuisse Apostolos humani quid pati, quod ab illis cohibitum est, dum labor illorum sermones atque scripta, in commodum Ecclesiæ vergere debebant. Magis enim cedit in honorem gratiæ, homines, portantes thesaurum in vasis testaceis, operibus admirandis ostendisse, potentiam non ex ipsis, sed ex Deo esse 2 Cor. IV, 7. id quod intercepto influxu Spiritus, magis testatum fiebat, quam continuo. Deprehendimus præterea illos consilia atque propofita formasse, uti humana prudentia, expensis probe quæ circumstabant, suadebat, quæ tamen Spiritus dein dissuadebat, impediebatque alia docendo, id, quod locum non habuisset, si donum semper adfuisse præsto. Sic Paulus consilium mutavit in Macedoniam, redeundi

Act. XX, 3. Constituerat iter in Hispaniam ingredi Rom. XV, 28. quod non, sane tunc, exsequurus est; atque statuto tempore redire Corinthum 1 Cor. XV, 5. ff. quod differre coactus erat & excusat 2 Cor. I, 16. 17.

§. X.

PROP. VIII. *Collata sunt aliquando dona hæc in irrogenitos.* Observatio hæc, in inquirenda indole donorum, insignem præstabit utilitatem. Qui, dum de Spiritus Sancti operationibus cogitant, solum illa salutaribus & sanctificantibus absolvi existimant, aut præsumunt, illa perperuo debuisse adfuisse, non sine animi repugnantia illam admittunt. Diserta tamen testimonia Sacrorum ejus veritatem asserunt. Prædicit Servator de Pseudodoctoribus Matth. VII, 22. illos gloriaturos in die peremptorio, *numme in nomine tuo propbetavimus, numme in nomine tuo ejecimus demonia, numme in nomine tuo præstitimus multas virtutes?* Dona quisque conspiciat præterordinaria, ex effectis recensitis, ad quos præstandos exigebantur. Præditos illos eis fuisse, idcirco statuendum est. Neque hæc verba, ad dies in quibus Sospitator in carne exili versabatur, referenda, sed ad ævum sequens, inde liquet, quoniam vaticinatur; præterea discipulos instruit de ratione muneris, suo tempore gerendi, hos enim in sermone in monte habito, sigillatim alloquitur; denique quod præstanda hæc dicat in suo nomine, quum vero nomen gloriam denotet, quam impetraturus erat in exaltatione, (uti istum significatum adstruunt, ultimi sermones Christi cum Apostolis habiti Joh. XIII-XIX. cum historiis miraculorum in nomine ejus patris, in Actis occurrentibus) planum est, Jesum respexisse ad dies Apostolorum, in quibus irrogeniti donis præterordinariis instructi, munera sacra essent gesturi. Quanquam autem specialia de factis extraordinariis, a simulatoribus per hæc dona præstitis, non legamus, neque in Actis, neque in Epistolis Apostolorum, indicia tamen clara de-

pre-

prehendimus Ebr. VI, 4. ubi de deficientibus a professione fidei, denuo filium Dei cruci suffigentibus illique illudentibus, dicitur *quod participes fuerint facti Spiritus Sancti*. Referimus hæc ad dona ejus non salutaria, sed extraordinaria, quoniam de prærogativis agitur singularibus, non in omnes, sed aliquos, cadentibus. Liceat digressionem instituere atque dictum hoc ex nostra sententia illustrare. Recensentur quinque prærogativæ, indultæ illis, qui non amplius in initiis doctrinæ Christianæ hærebant vL 1., 2. Symbolicis phrasibus denominantur, quarum fontem in historia Patrum in deserto atque beneficiis, quibus illi frui erant, deregimus. Id enim stilo Apostoli convenit, quo in hac epistola utitur, atque docet, præsentia, per Christum para beneficia, excellere valde illa, quæ Patribus in deserto contigerant, statumque Christianorum esse antitypum status Patrum, expectantium in quierem ductore Mose transferri, *superest enim* ait cap. IV, 9. *ad huc Sabbathismus populo Dei,* & vL 11. *hinc festinemus introire in illam quietem, ne quis incidat in exemplum ejusdem infidelitatis.* Prærogativa prima *φωτισμός*, alludens ad lucem faciei Dei in columna nubis & ignis, notat pleniorum cognitionis modulum: Secunda est gustus doni cælestis, alludens ad mannam stillantem, in deserto & notans sensum veritarum consolantium in doctrina de Christo, qui verus est panis vitæ Joh. VI, 35. e coelo descendens: Tertia est participatio Spiritus Sancti, alludens ad pluviam ex nube deciduam, in æstu torrente deserti, symbolo Spiritus Pl. LXVIII, 10. 19. & dona extraordinaria designans: Quarta consistebat in gustu verbi Dei boni & benigni, antiphrasin continet in allusione, dum respicit ad terribile Dei verbum, quod in Sinai Patres audiverant. Ebr. XII, 21. Quintam efficiebant virtutes seculi futuri, allusione ad fructus, ab exploratoribus relatos, ex Canaane in desertum. Denotat autem vel prægustum prærogativarum, possidendarum in diebus Messia, post destructionem Solymorum, consistentium in liberatione a duro legis jugo atque libertatis illius sensu, in conversatione

cum paganis, vel ampliorem cognitionem beatitatis post mortem & seculi consummationem, nondum enim certi fumus, quid per *αἰών μόνων* sive *הבא עולם* Paulus ex Phrafi Judaica intelligat. Poterant hæc omnia absque gratia sanctificante possideri. Addimus conferit simulatos Prophe- ras, seducentes coetus a puritate fidei, non solum cum anti- quis Pseudopropheris, sed & cum Bileamo, quem præ- rerdinariis donis fuisse instructum historia Num. XXIII. & XXIV. clarissime docet, 2 Pet. II, 15. 16. Jud. vi. 11. Neque potuissent illa affectare impii, si gratia salutaris fuisset prærequisita, uti tamen fecit Simon Magus Act. VIII, 9. filii Scævæ Act. XIX, 14. & qui *πνευματικοὶ* videri volebant, tamen anathema dicebant Domino Jesu. 1 Cor. XII, 3.

f. XI.

PROP. IX. *Cessarunt atque desierunt hæc dona mox post exitum Virorum Apostolicorum* Tangimus controversiam quam **MIDDLETONUS** in Anglia movit, quamque non sine magna contentione, adversarii contra illum agitarunt. **MIDDLETONUS** dona cessavisse contendit cum exitu Apostolorum, temere satis primorum Patrum Sec. II. testimonia exagitando. Ex adversariis in quartum usque se- culum durasse, credule satis defenderunt. Ante quos **DODWELLUS**, in Sec. III. finem, illorum vestigia, sibi deprehendisse fuerat visus *Dissert. in Freneau II. p. 44.* Nostrium nunc non est illam discutere. Existimamus au- tem, nos posse ex nostris observatis, aliquam afferre lucem, ex qua patebit, dona, qualia obtinere Apostolorum & virorum Apostolicorum ævo, post illorum mortem ces- sasse, dum quicquid de *χαρισματα* post Marci Aurelii tem- pora, fortassis & post obitum Polycarpi, refertur, non nisi levem aliquam similitudinem cum præcis habuit, præter- quam, quod inter illa sint, quæ severam crisin, dum in- quiritur in factorum veritatem, non patiuntur. **Obser- vatio**

vationes primo generales proponam, dissimilitudinem inter ista, a Patribus relata dona, & prisca, de quibus sacra testantur, evincencia; deinceps per classes donorum ibo, sigillatim dissonum, & non nisi quoad partem aut speciem analogum, indicaturus.

1) Præsumtio est magna, post Virorum Apostolicorum excessum, non amplius superfuisse ista aut talia dona, quibus Spiritus Sanctus se in *πνευματικῆς* revelabat, quoniam dona illa cum muneribus, in primis coetibus erant conjuncta. Id evicimus *Propos. I.* Nimis clare Paulus 1 Cor. XII, harmoniam inter dona & munera atque ordinem eminentiæ unius præ alio, tum dono tum munere, urget. Cessavit autem cito munerum ordo. Nullos, Apostolorum ipsorum caractere distinctos, deprehendimus successores, quo pacto & illorum *συναγωγαί*, Evangelistæ strictè dicti, desivere, quot etiam per orbem terrarum, annunciandi Evangelii causâ, ad nationes distitas peregrinati fuerint. Prophetarum iridem non deprehendimus ordinem, quibus Deus solitus fuerit arcana atque sublimia revelare. Idem de reliquis muneribus certum est, dum illorum loco successere munera Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Anagnostarum, Exorcistarum & alia. Quicquid igitur de donis affertur, id a prioribus fuit dissonum.

2) Neque est de nihilo quod *MIDDLETONUS* urget, quanquam nimis eapropter Patrum memoriæ insultet, quod dum magnifice de donis superstitiibus testantur, specialia tamen facta & quæ illa attingere, nomina personarum, tum donis istis præditarum, tum in quorum beneficium effectus cessere, cum locis & testibus, fileant. Aliter Sacra instituunt, specimina specialium factorum enarrantia, ex quibus generatim dictorum, natura atque veritas patent.

3) Addo, quod si fortassis dicetur, exigi non posse a Patribus *JRENÆO*, *MINUCIO FELICE* aliisque, de donis super-

perstitibus testantibus, ut prolixas narrationes suis infererint scriptis; id tamen ab *EUSEBIO*, Patre Historiæ Ecclesiasticæ, qui plures eventus describit, jure posse expectari. Verum altum apud illam regnat silentium, & quam subinde de donis his, ex traditione antiquiorum, ut de refuscitatione mortui, ex *PAPIÆ* Libris, referat *Hist. Eccl. Lib. III, c. 39.* id tamen tali narrat modo, ut tanquam rem stupendam spectet, quam Papias, licet suo ævo contigerit, tamen ex narratione filiarum Philippi Evangelistæ, hauserit. Rarissimum adeoque & isto tempore id fuit miraculum. Interea *PAPIÆ* ætate, talia adhuc poterant contingere, superstitibus nempe quibusdam donis.

4) Ex testium autem fide dignorum numero rejicio *TERTULLIANUM*, qui Montani erroribus infectus, quamquam non asseram quod mala fide egerit, in his rebus, inprimis quæ revelationes & visiones Propheticas concernunt, credulus nimis fuit.

5) Jam sigillatim dona lustrabo. Apostolici, sapientiæ uti illud descripsimus, reliquias superfuisse, eo minus vero est simile, quod primi seculi Patres ei directe opposita asserant. Unde *POLYCARPUS in epistola ad Philippenses pag. 4. edit. LE MOYNE in Varr. Sacr. Ουτε γὰρ ἐγὼ, ὅτε ἄλλος ὅμοιος ἐμοὶ δύνάται κατακλιθεῖσαι τῇ ΣΟΦΙΑ τῷ μακαρίῳ καὶ ἐνδίκῃ Παύλῳ &c.* Neque enim *EGO*, neque *ALIUS MEI SIMILIS*, poterit sequi *SAPIENTIAM beati & gloriosi Pauli*. Præterea licet novas plantarint Ecclesias, doctores in Sec. II. id tamen non invenerunt obstaculum, in quo removendo Apostolorum sapientiæ, ut ostendimus suo loco, maxima eluxit, quod in uniendis paganis cum Judæis, ubique deprehendebant, unione post destructam Hierosolymanam magis coalescente, sic, ut medio seculo secundo, vix umbræ superessent divisionis priscæ, præter unicum specimen, in lite inter Victorem & Polycratem, circa tempus celebrandi Paschatis. Verum de his dissidiis alias.

6) Si

6) Si spectemus donum Prophetarum primi ordinis, consistens in Apocalypsis de veritatibus sublimibus, arcanis & abstrusis, concernentibus fata Ecclesiae futura ad finem usque & in seculorum consummatione 1 Cor. XV. 24. 51. 1 Theff. IV, 16. atque regimen Sospitatoris, in animas separatas a corpore in coelis, ad quod Apocalypseos Johanneae praecipuam applicamus partem, consistens quoque in *γνώσις*, sive cognitione solida atque locuplete rerum sublimium; ex comparatione eorum, quae apud Patres trium primorum seculorum, tanquam revelationes, quae piis obrigere, narrantur, illico apparet, haec longe diversae naturae ab istis fuisse. Etenim, ut inter haec sunt, quae Montanistarum phantasia, sibi, tanquam Apocalypses, finxerat, qualia *TERTULLIANUS* laudat, quem, credule saepe, *CYPRIANUS* sequuti sunt; concernant privatorum fata, non Ecclesiae, praeterea aguat de rebus aliunde jam notis, neutiquam vero ignoratis & in cognitionis viarum Dei augmentum, vergentibus. Sic satis illa excussit Cel. *JOH. FAC. ZIMMERMANNUS* in *dissert. de visionibus primorum Christianorum, insertis Opusc. Tom. I. pag. 626.* ut ortia nobis fecerit. Interea in *CLEMENTIS ROMANI epist. ad Corinth. s. 48. pag. 176. edit. COTELERII*, deprehendo atque pie exofculor, reliquias *γνώσις* Propheticae, quae in veritatum sublimium cognitione & enarratione consistebant, dum alludendo ad 1 Cor. XIII dicit, de possidentibus suo tempore praerogativas, quos deceret dimissus animus, *ἦτοι τις πιστός, ἦτοι δόνατος γνώσιν ἐξεπέιν, ἦτοι σοφός ἐν δικαίᾳ κρίσει λόγων, sit aliquis fidelis, sit potens in enarranda cognitione, sit sapiens in sermonum justa dijudicatione, & quam obrem non haec agnosceremus in viro probo, qui cum Apostolis versatus atque ab illis inauguratus erat?*

7) Pergo ad *πίσι* Evangelistarum. Insignia & admiranda exempla animi heroici, pericula nominis Jesu causa despicientis, fiducia in promissionibus Servatoris pleni & usque ad mortem fidelis, victoriamque de mundo imperrantis,

E

tis,

is, in martyribus, diu post exitum virorum Apostolicorum, deprehendo atque veneror. Quantumvis etiam largiat, illud in variis fuisse *ἀνάλογον* prisco Evangelistarum, tamen ob multas rationes, diversum fuisse existimo. Non enim connexum erat cum munere, cessante cum exitu Apostolorum. Primi Evangelistae Apostolorum *συνεργοί* atque sodales, ab ipsis vocati atque inaugurati, illorum institutione atque exemplo addidicere plurima, quae a martyribus aberant. Neque horum fuit officium viam Apostolis munire, enarrando historiam Jesu Christi & instillando doctrinae Christianae fundamenta paganis, quamobrem quoque similibus, licet aliis & fatis gravibus periculis, non fuisse expositi. Gratia salutaris, parere atque efficere potest fidem firmam & in periculis non vacillantem, quae, dum plantata est Ecclesia, consideratis antecedentibus viis Dei, poterat robusta fieri. Extraordinarium autem donum requirebatur, dum Ecclesia plantanda erat & mundus paganismi tenebris immersus, quo expectatio redderetur firma, legatos Dei non in cassum esse laboraturos.

g) *Δυνάμεις* validissimae operationes & dona sanationum nunc sequuntur. Haec charismata diu superfuisse, qui durationem defendunt donorum, ex Patrum testimoniis atque exemplis allatis, asserunt. Sed liceat intercedere, qui fidem priscorum non elevabimus, atque defendere, diversa illa & discrepantia, fuisse. Observo hunc in finem 1) non sine confusione disputationem hanc agitari. Afferuntur enim testimonia atque exempla miraculorum, ut audiunt providentiae, quae Deus dicitur operatus esse, nullis intercedentibus hominibus. Verum de his non est quaestio. Singularem moderamine rerum in orbe, miraculoso aut ad miraculum accedente, ac effectis stupendis in natura, Deum viam munivisse, ad Ecclesiae e periculis liberationem & floris ejus promotionem, quis negare audeat? Adhuc talia phaenomena in aëvo recentiori, quanquam nemo invenitur, instructus facultate a Deo concessa, patranda miracula.

Tale

Tale erat olim portentum tempore Juliani, dum Judæi, illo permittente, templum restituere tentabant. Talia sunt quæ *CYPRIANUS* habet in libro de lapsis, ubi singularia refert, de effectis sacramenti sumti a lapsis, quæ, absque quod ullus dono hoc fuisset ornatus, in Ecclesia potuere contingere. 2) Adducuntur & alia quæ ad martyrum sepulcra accidisse dicuntur, illorum [virtute atque intercessione, quæ ut exorientem superstitionem produnt, sic discrepant a donis miraculorum, exsertis a vivis, ad evincendam brevi manu atque per argumentorum compendia, dogmatum veritatem. 3) Aliud dissonum occurrit teste *ORIGENE* contra Celsum Lib. 7. pag. 334. edit. *SPENCERI*, patrata fuisse miracula a Christianorum plebe, mulieribus, infantibus & idiotis, quum in prima Ecclesia, teste Paulo atque Jacobo, dono essent exornati Presbyteri atque post Evangelistas sequentes, conspicui. Dicit enim Paulus *intra* postea Deus in coetu constituit virtutes. 4) Et si eam per singula, ad *diva* *veris*, ut distinctæ sunt a donis sanationum, pertinere ejectiones dæmoniorum. Hic hæreo an vere fuerint obsessi, sicut Christi & Apostolorum tempore, qui sanati dicuntur, an vero alienata fuerit illorum hominum mens, affectu phrenetico. Suspicio ex quibusdam testimoniis, id habuisse locum. Sic *MINUTIUS FELIX* refert ejectos dæmones fuisse falsos, se esse Saturnum, Jovem aut Serapidem. En verba in *Octav. s. 27. pag. 161. edit. DAVISII*. *Hæc omnia sciunt plerique, pars vestrum, ipsos Dæmones de semet ipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum & orationis incendis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus & Serapis & Jupiter, & quicquid demonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquantur; nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum adstantibus, mentiuntur.* His similia habent alii Patres. Qui recte de dæmone ex sacris sentit, cujus potentiam Sospirator attrivit, is nullam ejus affinitatem cum Deis gentilium, qui ex Pauli sententia nihil sunt in orbe *I Cor. VIII, 4. agnoscer.* Patrum sententiam de dæmonibus,

E 2

nibus, quos simulacra referre existimant, illa manifestant. Adeoque ipsi, circa naturam daemonum, idcirco & obseforum, errabant. Frequentissimum vero est homines, alienatae mentis in phrenesi fingere atque sibi imaginari, se illustrium Heroum etiam Divorum gerere personas. Facilius multo id contingebat, in tempore regnantis late superstitionis ignorantiae. 5) Resuscitatio mortuorum species erat *δυναμειών*. Sed licet de illa *JRENÆUS adv. haeres. L. II. c. 56.* testetur, quod suo contigerit aëvo saepius, fuerintque superstites in vitam revocati, nisi haec verba sint intelligenda, de olim a Viris Apostolicis resuscitatis & ad Jrenæi aëvum superstitionibus, dubia tamen valde redditur ex *THEOPHILI ANTIŌCHENI ad Autolyceum* dictis, qui objectionem resolvere non poterat, qua requirebat, ut unus resuscitatus ipsi ostenderetur, ille enim L. I. pag. 77. in calce Opp. Justini M. edit. colon. *ἀλλὰ καὶ τὸ ἀνευθεῖσθαι σε νεκρὸς ἐγγίγασθαι. Φῆς γὰρ δεῖξέν μοι καὶ ἓνα ἐγεγόνετα ἐκ νεκρῶν, ἵνα ἰδῶν πιστεύσω. Πρῶτον μὲν, τί μέγα, εἰ διασαμένος τὸ γεγονός, πιστεύσεις &c.* *Præterea negas mortuorum resurrectionem. Dicis enim, ostende mihi saltem unum ex mortuis revocatum, quem si videam, credam. Primo autem quid memorabile facies, si videas & credas &c.*

9) Prophetiæ secundi generis, doni, uti illud explicuimus, excitatos fuisse in coetu idiotas a Spiritu, ad sermones de veritatibus salutaribus, in ædificationem coerus habendos, specimen apud Patres non invenio, qui potius laicos valde a doctoribus, illisque, quibus licebat coetum instruere, distinguunt. Linguarum vero donum cito interiisse, vix in controversiam vocatur, eoque est verosimilius, quod, quum Patres de donis, analogis aliquo modo extraordinariis, magnifice scribant, nihil tamen de adjuncto huic, interpretationis, prolatorum in peregrina dialecto, unquam commemorent. Sufficit nos evicisse, illa ipsa dona, quibus nitebat Ecclesia Apostolica, mox interiisse. Quam vero affinitatem cum illis habuerint, de quibus Patres testantur, id discutere, nunc non est e re nostra.

J. XII.

PROP. X. *Differebant extraordinaria a reliquis donis Spiritus Sancti, communibus & salutiferis.* Donorum sive effectuum Spiritus Sancti in hominibus, tot sunt excogitatae, cum maxime a Scholasticis, distinctiones illarumque subdivisiones, & harum denominationes, & istae quidem adeo subtiles, ut materiam potius obscurant, quam illustrent. Nolumus eapropter illarum recensione, inutilem impendere operam. Ad tres classes referimus omnes, respectu personarum eis praeditarum. Prima est communium, quae & appellari solent naturalia, atque omnibus creaturis rationalibus, quanquam diverso modo atque gradu, pendentibus a circumstantiis variis, ipsa educatione atque exercitio, insunt. Ab his, a quibusdam solent distinguui dona ministrantia, seu boni habitus, sive concreati sive acquisiti, qui feliciter in Ecclesiae commoda impenduntur atque cedunt, verum cum reapse cum communibus coincident, siquidem illa spectemus uti sunt in subjectis, atque altiore gradum constituunt, sub istis illa complectimur, idque eo magis, quoniam non pauci ad ministrantia, tanquam a communibus distincta referunt, quae ad extraordinaria referenda esse, penitior dictorum consideratio docet. Altera classis est salutarium, quae non omnes, sed haeredes salutis attinet, quibus gratia per Christum parva, a Spiritu Sancto applicatur. Tertia classis est illorum, quae in hac disquisitione excussimus atque paucioribus impertiebatur, in primis Ecclesiae plantandae temporibus.

1) *Dona communia, sunt omnes facultates naturales hominum, ipsius corporis & animae, quibus inest physica bonitas, quibus apti sunt ad suos fines, quibus bruta non solum excellunt, sed & se invicem antecellunt. Illa Spiritui ad scribuntur, ut Bezaleelis ingenium Ex. XXXI, 2. & Simfonis fortitudo. Illustraverunt hanc materiam JOH. OWE*

OWENUS in *Pneumatologia, anglice edita Lib. I. cap. 3.* sed locupletius multo *Col. LAMPIUS* in *Dissertat. de Spiritu Sancto VIta* quæ agit *de ejus operibus œconomicis in regno nature.* Dona salutifera emendant in mente hominis, per peccatum corrupta, atque noxam inde illatam, restitunt. Eo tendunt omnia ab illuminatione, primo dono, quo tenebræ præjudiciorum, obsidentes mentem & conversionem impediētes, dispelluntur, atque veritas ex verbo agnita, in voluntatem, ad illam permovendam, influit. Illustrant hæc modo allegati Authores. Extraordinaria vero, aptos reddiderunt, illis instructos, ad singulares fines, quos Deus sibi proposuerat, in ecclesia obtinendos. Per communia dona, suam quilibet personam agit, tanquam civis in hoc mundo, per salutifera aptus redditur ad vitam agendam, ut Christianum & sanctioris civitatis membrum dect, per extraordinaria, illa possidentes idonei facti fuere, tanquam instrumenta Dei, ad opera insolita.

2) Sicut hi fines & effectus donorum istorum discretorum differunt, sic & ex aliis indiciis differentia apparet. Communium quis compos esse potest, uti in suo gradu quilibet homo rationalis, & tamen destitutus esse a salutiferis, ut irrogenitorum docet exemplum, & ab extraordinariis ut quotidiana experientia, siquidem mensuram facultatum & qualitatum hominum ordinariam, uti omni ævo obtinet, comparemus cum eis, quæ de Charismatibus hætenus adstruximus. Salutifera absque extraordinariis subsistunt, dum hæc, sicut ostendimus, dudum cessant; Extraordinaria quoque absque salutiferis possideri potuere uti *Propos. VIII.* adstruximus & Paulus materiam hanc tractans *i Cor. XIII, 1. 2.* asserit, destitutum posse esse, præcipua possidentem, a charitate, quam pariunt salutifera.

§. XIII.

PROPOS. XI. *Natura illorum consistebat, in exaltatione*

tionem facultatum hominis, tam superiorum quam inferiorum, supra modulum solitum, per immediatam operationem, absque quod tempus & media interveniebant. Eo nos ducit, lustrata modo a reliquis donis differentia, cum affectionibus eorum quæ spectavimus. Ad liquidum id perducemus ulterius.

1) Facultates mentis, singulari atque insolito modo fuisse affectas, apud illa possidentes, docet præter id, quod de quolibet dono sigillatim evicimus, toties adstructum, usum facultatum, siquidem excipiamus linguas utpote cum ecstasi conjunctas, non cessasse. Usus illarum, in quolibet dono, uti illud explicuimus, nunc penitus inspicere & enarrare licet. In sapientia, dono Apostolico, nexus viarum Dei inspiciende & Ecclesiis consulente, optimis institutis, deprehendimus usum perceptionis vividæ, representationisque maxime perspicuæ, rerum numero immensarum, quæ ad prisca & præsentia Dei cum Ecclesia vias, ad nexum inter illas, ut vel media, vel fines propinqui aut remoti erant; quæ porro ad Ecclesiarum plantandarum aut plantatarum, ad membrorum earum statum, indolem, indigentiam, dona; quæ ad obstacula perpetua aut inopinato exsurgentia; quæ ad remedia adhibenda & noxæ opponenda, faciebant, sive præsentia essent, sive absentia, de eis moniti, Apostoli. Vel unius Pauli labores, itinera & curæ pro omnibus coetibus 2. Cor. XI, 20. ut & Johannis, pro septem Ecclesiis Asiæ providentia, in Epistolis ad illas datis Apoc. II. & III. hujus rei exhibent specimina. Audeo defendere, inter orbis terrarum Rectores, qui præfuerunt summis atque latissimis Imperiis, neminem unquam tor suscepisse, atque ad eventum felicissimum deduxisse curas, ac quidem Paulum, dum illi, vel in fundato jam Imperio succedere, vel armorum vi & remedii violentis, quæ subministrabat potentia, obstacula removerunt, præterea tot consiliariorum ingeniis, satellitum manibus, opum atque divitiarum valore, adjuti, civitates admi-

administravere. Paulus vero solus, paucis stipatus cooperariis, victum sæpe manuum labore quaerens i Cor. IX. doctrinam carni exosam annuntiavit, de illa persuasit, maxime illam averfantes, Ecclesias plantavit, curam pauperum gessit, ex distitis regionibus eleemosynas collegit, ex Achaja, Macedonia, Galatia, ut epistolæ ad Corinthios, Galatas & Philippenfes testantur, subvenit plurimis necessitatibus. Hæc omnia præstitit, nulla mercede, quæ carni esset grata, verum, in maximis versando discriminibus, & tamen longe distitas regiones, ab Hierosolyma usque in Illyricum, implevit Evangelio Jesu Christi Rom. XV, 19. Hæc eum in finem observo, ut pateat, quot representationum objecta, mentibus illorum fuerint obversata; de *his* in his postea. Objecta hæc simul erant facultatis judicandi, expendenda summa attentione ut optima eligerentur. Actus mentis reflexi, in attentione ad se ipsos, exploratione suarum intentionum, gestorum, convenientiæ illorum cum regula, ut ex rerum bene gestarum conscientia, lætitiâ perciperent, simul adfuere i Cor. IV, 4. Spatium deficeret, si in his negotiis requisitum usum facultatum inferiorum, memoriæ, imaginationis, facultatis fingendi, absque qua inventio in rebus dubiis locum non habet, juxta Psychologiæ præcepta, vellemus percensere. Et quæ non mentis facultates fuere adhibitæ, affectæ licet superne, dum versantibus in munere, præsertim si res difficiles occurrerent, regula a Servatore injuncta, tanquam officii pars principalis erat observanda, *estote prudentes tanquam serpentes & sinceri sicut columbæ* Matth. X, 16. In dono Prophetarum, facultates animæ inferiores, affectas & simul actuosas cernimus, dum manifestata mysteria, de rebus futuris, memoriæ mandanda fuerunt, ex qua, in aliorum usum poterant annuntiari. Si vero obtingerent Apocalypses, ut Johanni, mediantibus visis, vel sensibus vel imaginationi objectis, & adderentur explicationes, utraque facultas imaginationis cum memoria, se debuit exferere, superior vero judicii, dum divina revelatio, tali ob-

tin-

tingens modo, erat discernenda, ab aliis Phantasiae objectis, cujus distinctionis criteria, licet nobis ignota, ipsis satis nota fuerunt, ut Johannes indicat Apoc. I, 10. *eram in Spiritu.* Circa Evangelistas, non opus est ut diu haereamus, dum fides, non solum ut donum, sed & ut officium considerata, in omni exercitio, facultates mentis, representationis, dijudicationisque multarum & veritatum & circumstantiarum exigebat, porro mentis vires, quæ ad inventionem remediorum optimorum, in re difficili, præterea quæ ad amorem erga Jesum perpetuo excitandum, quæ ad se ipsos, num vita & facta regulæ responderent, explorandos, adhibendæ erant, cum studio sobrietatis & vigilantia ipsi inuncto. In dono sanationum atque virtutum, rationales mentis actus & plurium facultatum operationes, eo clarius conspicimus; quoniam, quanquam modum, quo transit actio a prædito hoc dono, in miserum relevandum, aut creatrix Dei potentia, affecerit miracula patrantem, vel intercesserit inter ægrum atque miraculum efficientem, ignoremus: tamen constat, hunc dijudicare debuisse, utrum morbus esset oriundus ex peccato, quod ad mortem, aut quod non ad mortem tenderet, 1 Joh. V, 16. Præterea attendere debuisse, ad interiorum sensationem desuper excitatam, circa decumbentem, cujus causa oratio fundebatur & circa ejus valorem Jac. V, 16. Denique in discretione spirituum, plurimos mentis actus in attentione, comparatione personarum atque rerum occurrentium inque recordatione adhibendos fuisse, facile intelligitur.

2) Facultates tamen istas, uti præterordinaria sentiebant vel efficiebant, donis instructi, a Spiritu Sancto fuisse & affectas & supra modulum, quem humana ceteroquin fert conditio, exaltatas, alterum est quod posui. Spiritus Sancti operationem efficacem adfuisse & quidem insolitam, discretis testimoniis Sacra dicunt. Afferitur 1 Cor. XII. in recensitis donis, ejus operationes fuisse conspicuas, quas juxta beneplacitum exseruerit, & recensentur quatuor priores,

F

res,

res, in quibus adjecta mentio Spiritus, ejus præsentis insolitos actus, liquido manifestat. Deprehendimus id quoque in exemplis variis exercitiū horum donorum, in quorum descriptione, inserta Spiritus commemoratio arguit, illam non adfuisse solum, sed & singulari modo fuisse sive expertam sive conspicuam. Johannes, ut Propheta, erat in Spiritu Apoc. I, 10. affectus adeoque modo insolito, aut sane rarius accidente & naturales mentis affectiones superante. Paulus sapientiam, donum Apostolorum, non solum extollit supra omnem humanam, sed & fontem indicat, nobis Deus revelavit per Spiritum suum 1 Cor. II, 6-10. Evangelistarum animi affectio itidem inde derivatur. 2 Tim. I, 14. Virtutes junguntur cum Spiritu 1 Cor. II, 4. Spiritus non sufflaminandus explicatur per Prophetiam non contemendam & dijudicationem omnium 1 Thess. V, 19. 20. 21. De dono linguarum, non opus est ut quicquam addamus, cum in exemplis, hac de re Sacris infertis, diserte causa, incidens in hoc dono Spiritus, commemoratur Act. II, 4. X, 44-46. & XIX, 6. Excelluisse autem dona solitum modulum hominum, præter effectus, quos absque illis nemo præstare valet, docet ipsa descriptio.

3) Moduli autem humani ea propter meminimus, quoniam inter habitus humanos sunt, qui simile quid cum his donis, in mentis affectione atque dispositione facultatum referunt, quanquam longe infra illa subsideant. Datur sapientia, in consideratione nexus viarum Dei, & prudentia, expedite media suggerens, in re difficili. Quanquam naturali vaticinandi vi, ut quidam conjectarunt de melancholicis, homines non polleant, sunt tamen in arte investigandi exercitati, qui ex præsentibus & præteritis, uti signa sunt futurorum, atque præparationes ad illa, hariolari norunt eventura. Animi insignis fortitudo, potest acquiri usu rerum, morbi possunt arte pelli, linguæ addisci, & acquiri habitus ad ædificationem coerus verba faciendi. In omnibus illis requiritur ingenii capacitas, vis facultatum adhi

adhibendarum, institutio atque exercitium; hæc vero exigunt humana media, impendenda cum temporis spatio. Nec media, nec tempus in productione horum habituum, naturales adeo excedentium, Spiritu derepente, sæpius inopinato illabente, cernentes; concipimus illorum originem ex disputatis, quod Spiritus creatrix potentia, juxta quam facultatum omnium mentis, illarumque vis, author est, eas, nullo intercedente medio humano, ad illud fastigium perfectionis confestim perduxerit, quod requirebarur, dum effectus erant producendi. Miraculum, per quod saltem ordo & cursus naturæ suspensus est, atque in mentibus, quarum operationes non cessarunt, exortæ sint novæ representationes notionesque, in multis donis, antea ignoratæ, adfuisse, ex data descriptione statuendum est. Hinc & perpetuo obscura supererunt, in hac Spiritus operatione in mentes humanas, quæ aciem nostram fugiunt, quamdiu ignoramus, quomodo Spiritus æternus influat in res creatas, ad illas producendas, conservandas, atque gubernandas, quæque sint ipsius Spiritus Sancti operationes, in exornatione mentium, dum illas instruit donis communibus præcellentibus. Interea liceret inquirere, an hæc operationes constituerint in infusione novarum virium, an vero in remotione limitum, mentibus humanis in præsentis statu & sorte positorum, quo vires coarctatas, absque impedimento ceteroquin positis, tunc vero sublatis, exferere potuerint. Non nimis curiosâ est hæc disquisitio, facit enim ad faciliorem & planiorem conceptum, de negotio Spiritus Sancti in his donis excitandis, formandum, qui tanto facilior semper est, quo magis analogus aliis similibus, de quibus plura novimus. Rebus creatis, concreatæ sunt multæ qualitates dynamicæ, ex quibus nisi in ulteriora. Tales nisi, ad exferendas potentias, in nostro esse Spiritu, experientia testatur, qui exferi aut explicari nequeunt, quoniam limites cohibent. Spes in revelatione verbi excitatur, ad majorem perfectionem perducendam esse mentem nostram, in magna illa revolutione, quam per corporis mortem subibit. Re-



movebuntur tunc quidam limites. Poteritne alios, dum libet & finibus est conveniens, Spiritus creator remove? Hoc si sit, combinare possum utramque thesin, & Spiritus Sancti operationem in horum donorum productione adfuisse, & simul studium cum cura fuisse impendendum, ad illorum conservacionem & augmentum. Sed objicietur forrassis, dynamicas istas vires, hanc materiam ingredi, sicut qualitates occultæ, scholasticorum de corporum affectionibus disquisitiones. Verum istam ex meis dictis consequentiam deprecor. Fateor, illas hæctenus non esse explicatas, sed largietur facile, quilibet rerum gnarus, incrementa insignia expectare studium Psychologicum, qualia jam accipit, detectis quam pluribus mentis viribus discretis, postquam Philosophi desierunt canere, mens est Spiritus consistens ex intellectu & voluntate, atque certare, ad quam harum facultatum referendum sit iudicium cum conscientia. Sufficit experientiam intimam testari, adesse potentias cohibitas, quas producat curiositas, studium investigandi cum desiderio futura sciendi, quin & ipsæ scientiæ vanæ, olim adeo laudatæ, quas abusus despectas reddidit. Ad obrusa porro provooco ingenia, quæ a limitationibus, sæpe a corporis constitutione pendentibus, impediri cernimus, dum facta, potentias cum conatibus se exerendi, produunt. Ipsa ingeniorum cultura quid præstat? Non infundit novas vires, sed limites aliquot remove, superstites apud alios, quibus usus istiusmodi mediocri, negatus fuit. Analogus præterea noster, quem explorandum proposuimus, est conceptus de his donis, illi, quem de donis salutaribus, ex Sacrorum revelatione formare deest. Author illorum donorum est Spiritus, & quoniam animarum est creator, ejus oeconomicum est opus, restituere noxam, per peccatum illatam. Noxa illa, siquidem mentem humanam, ut se habet sub peccato, spectemus, consistit in turbato facultatum ordine, atque debilitatione virium ad bonum, quæ, accedente peccato actuali, degenerat in summam impotentiam, quam sacræ literæ mortem appellant. Restitun-

tuuntur ordo cum viribus, ad bene agendum. Medium unum præstat verbum Evangelii, cujus insignis prædicatur potentia atque efficacia Rom. I, 16. Attamen non solum sufficit, dum obstacula adsunt removenda. Accedit Spiritus Sancti operatio, illa removens. Primum ejus opus est illuminatio, sive remotio præjudiciorum, impediendum fidem atque conversionem. Aufert adeoque quod obstabat, & remover, sicut in donis extraordinariis, limites.

§. XIV.

PROP. XII. *Potest bodiedum illis donis Ecclesia tuto carere.* Suspicio facile animos occupat, quod si eisdem adhuc uteretur mediis atque operationibus Spiritus Sanctus, promotam iri magis Ecclesiæ ædificationem atque felicitus extendendos regni Christi terminos. Verum si omnia rite expendamus, planum reddetur, istam præsumtionem concidere.

1) Necessitas, quam in Ecclesia plantanda deprehendimus, cessat nunc, ubi plantata est. Repentino cursu, Evangelium per terrarum orbem ad ultimos terminos erat propagandum, cum fide. Hoc exigebat gloria Jesu Christi, in coelos exaltati, & fides ei in seculis sequentibus concilianda, quam insigni modo excitant, stupendi illius progressus. Brevitas illa temporis, non permittebat viam longam, prolixarum demonstrationum. Brevis manu erant agenda omnia, & per argumentorum compendium, quale est in miraculis, testimonium divinum orbi exhibendum, quo pagani de idolorum vanitate & vero Deo, Judæi autem de adventu Messisæ ejusque regno spirituali, convincerentur, atque reliqua dona erant addenda, quo Ecclesiæ plantandæ consuleretur citissime.

2) Sed fortassis existimaretur, conducere illa nunc posse, ad convincendos Judæos, Turcos & Paganos, immenso numero in orbe superstites. Id suspicamur. Illud in finem



etiam ablegati ad infideles, Xaverius cum sociis miracula tentarunt & creparunt, sequacibus tamen prudentioribus redditis, & aliis illa frustra præstolantibus. *Discimus* ex vaticinio Pauli, mysterium illud, quod tanquam Propheta revelavit Rom. XI, 25. dilatum esse in longinquum tempus conversionem Judæorum. Nobis non licet terminosa Deo fixos movere. Adfunt tamen aliæ causæ speciales, quæ suadent, effectu caritura esse, vel ipsa miracula. Ubi præjudicium alte infixum animos obsedit, efficaciam omnem persuasionis ex miraculis cohibens atque obtundens, ibi eis fidendum non est. Tale autem est ex superstitione ortum, diabolo permitti, ut miracula patret. Eo occupati sunt Judæi cum Turcis. Quanta vero ejus vis sit ad retundendam convictionem, discimus ex priscorum Judæorum exemplo, se obfirmantium præjudicio, *ejicit demonia per Beelzebub principem demoniorum* Marc. II, 22. Apud Judæos cernimus, tremendum occocationis judicium, quod Deus comminatus est Es. VI, 9. 10. atque sexies in N. T. repetitur, in quo Paulus judicia Dei imperscrutabilia, quæ nos homunciones non auferemus nostris ausibus, reverebatur Rom. XI, 33. Apud Muhammedanos, Spiritum religionis ipsorum, Christianismo prorsus adversum, apud paganos plerosque stuporem, ne quidem ad argumenta attentum,prehendimus, nec talem ingeniorum culturam, qualis tempore Apostolorum in orbe romano obtinebat; præterquam quod suorum Deastrorum miracula habeant ficta, quæ veris, si fierent, opponerent. Si vero Seres exceperis, per polygamiam, Atheismum & innexam statui politico religionem, via Christianismo, ipsisque miraculis, qualia patravere Apostoli, præstrata est.

3) Fortassis adversus incredulos aliquid valere suspicaveris. Verum & hanc spem, si ad disputationes cum illis attendamus, itidem mittere cogimur. Redeunt tandem eorum effugia omnia, ad scepticismum, dum dogmatica quæcunque demum sunt principia, negare vel pro incertis de-

cla

clarare, quicquid ex aduerso, ex meris hypothesibus atque conjecturis, subtruant suis doctrinis, non erubescunt. Familiare illud, nondum liquet, vel testimonio priorum sensuum, aliorumve, vel circumstantiis factorum oggestum, & hic assensum præfracte negatum, cohiberet. Quanta vis præjudiciorum apud obfirmatos sit, qui ex partium studio contradicunt; Judæorum in diebus Christi docet obstinatio. Blasphemiis aduersus Dei potentiam, reliquasque virtutes evomendis, exhiberetur ansa, siquidem sic in miraculis foret prodigium, quod tamen etiam sapientia refragaretur.

4) Nec in Ecclesia illorum necessitas aut usus ad pictatem excitandam, tanta viderur esse. Effectum enim illum non per se producant: Non apud possidentes, dum evicimus Propof. VIII. quod & irrogeniti illa possederint: Non apud illos, in quorum beneficium concessa, aut qui illorum testes fuerunt, quoniam inter illos, incredulitas cum vitis, non semper est devicta, sed potius ad disfidia, propter hominum aliqua vel nimis extollentium, vel nimis extenuarium affectus, occasio ex eis est enata, ut in coetu Corinthiaco. Quis vadimonium præstaret, similia his temporibus non esse eventura. Et dum Deus ordinaria, illorum loco Ecclesie indulget dona, illaque possidentes, numero insignem in modum superent, præterordinariis olim præditos, quis dubitet, sapientissimum numen, media adhibere, pro ratione temporum atque ingeniorum maxime convenientia?

§. XV.

Hæc probe expensa, diligentiam nostram acuere valent, Cives nostri, in quorum gratiam hæc scripsimus. Absit a nobis omnis præsumptio, quam Enthusiasmus animis ingerit, posse a nobis expectari, aut quocunque demum modo impetrari, dona extraordinaria. Destruimur a pro-

a promissionibus, quæ solæ spem excitare possent. Ignavia, cum arrogantia & imprudentia junctæ, foetus est talis expectatio. Ad ordinaria, illorumque modulum præcellentissimum est annitendum, quo acquisitis habitibus, redamur apti, ad consulendum commodis civitatis Dei. Nobilis ardor, qui eo mentes impellit, nullas fugit curas, vigiliis, exercitia, molestiasque. Hunc in pectoribus nostris sacrum ignem, excitabit, alet, exsufflabit, pius sacræ Synaxeos, ad quem invitamini, usus. Dum corda vestra tanget, solemni ritu in memoriam revocandus amor Jesu Christi, quo obedientia omni, ipso sanguine partam salutem, offert atque conferre vult, incitabit & is omne studium nunc & imposterum impendendum, quo ejus causæ, in hoc orbe, donis benigne in vos collatis, & a vobis excultis, prodesse possitis.

TANTUM.



The

Theſes Defendentis.

I.

Religio Chriſtiana, humanae naturae accommodatiſſima eſt. Hinc tam corpus, animam, ejus facultates superiores & inferiores omnes, adeoque & rationem ac phantaſiam, quam omnem ſtatum hominis poſſibilem perficit.

2.

Maxima igitur laudi ipſi merito ducitur, ſumme ſcientem ac ſapientem illius auctorem in illa omnia, modo plane divino, combinari, in quibus, ſigillatim ſpectatis & ſic nimium in modum evectis, alii minuti humani generis doctores ac Philoſophi ſ. ſint Stoici ſ. Epicurei ſ. religioſarum ſectarum auctores, ignavi totius humanae naturae ambitus atque perfectionis, ſummam hominis felicitatem quaeriverunt.

3.

Ex hac autem aliquali ac partiali convenientia, ad congruentiam doctrinae S. Hoſpitatoris, cum illis ſectis, concludere velle, idem eſt ac ſi quis, more platonico, ex convenientia hominis cum anate plumis deſtituto, inferret: Homo eſt Anas.

4.

Materialismus ſententia in ſe abſurda, ex ſola facultatum inferiorum cultura, neglectis ſuperioribus, facile menti incaute probabilis redditur.

5.

Doctrina de praedeſtinatione ingenerare, abſque conſilio gratiae

G

gratia spectata, non est quæstio Theologiæ Naturalis sed Revelata.

6.

Abjice terminos Supralapsarii, Infralapsarii, Universalistæ hypothetici aut absoluti, & particularistæ & c. inque illorum locum substitue: Ens omniscium mundum, cum omnibus eventibus possibilibus, eligens; sicque omnes saniores protestantes, præter a quibusdam, consentientes habebis.

7.

Peccatum omne hominem quoad corpus, quoad animam omnesque ejus facultates, tam intellectuales quam appetitivas, tam superiores, quam inferiores, imperfectum reddit. Porro nobilem characterem, quem in relatione ad Deum, ad proximum, ad æternitatem universamque civitatem Dei sustinet, deprimit. Virtus ac sanctitas contrarium faciunt, facultates perficiunt, characterem exebunt.

8.

De statu hominis post hanc vitam physico S. S. pauca nobis disertis verbis revelavit. Hinc analogice concludendo, ratione & Sacrarum, præcipue Apocalypseo enigmatibus viam monstrantibus, progredi debemus.

9.

Statum animæ separatam, stricte sic dictum, post hanc vitam locum non habere, ex ratione & S. S. defendimus conf. ex. gr. 2 Cor. V, 1.

10.

Coelum comorationemque beatorum certo loco non esse adstrictam ratione conjecturante, S. S. eo assudente, defendimus. v. Job. XIV, 2.

II.

Hinc, ex iisdem principiis, inversa ratione, infernum certo loco, desituito creaturis, ex quibus virtutes divina majorem in modum elucescunt, affixum esse, recte concluditur, conferatur vox τρητάρας 2 Pet. II, 4. & αβύσσος Apoc. XX, 1. etc.

12.

Oeconomica ille, infantiles & pueriles sacris dictæ, per quas Deus ante Sospitatoris adventum humanum genus duxit & moderatus est, ad genium illius aevi accommodatæ erant & media ad salutem sufficientia, hominibus, sub illis viventibus, suppeditabant.

13.

Tempus adventus Messie a Prophetis accurate prædictum est. In ipsis temporis hujus circumstantiis, theatrum admirandum divinarum perfectionum sese, penitus illud lustranti, conspiciendum præbet. Neque ante neque post illud, æque commodum temporis punctum, historie gnaro, invenire licet.

14.

Uti recte absolutismi notam incurrunt, ex ignorantia orientis, qui principium universi Juris Naturæ, vel ad Hobbesianum, vel ad Puffendorfanum, vel ad aliud quodcunque, ex particularis status ratione oriens, restringunt; sic aperte eadem via aberrant qui finem, adeoque principium legum Cærimonialium, vel cum Spencertianis, vel cum Antispencertianis plerisque unico specialissimo absolvi contendunt.

15.

Religio, cujus mediator Moses erat, in omni suo ambitu solum Israëlitas & quidem, quam diu terram Canaan illorum gens possidebat, adstrinxit. Reliquæ gentes per religionempatriarchalem poterant salvari.

16.

16.

Peccatum *μωσαϊστικῆς*, consentiente Exodo, non fuit causa lata legis cærimonialis, licet genius populi ad idololatriam proclivis recte, tanquam alius subordinata, inter illas numeretur.

17.

Loca Ezech. XX, 25. Gal. III, 19. Jerem. VII, 22. quæ pro contraria sententia afferi solent, plane hic nihil demonstrant.

18.

Negari interim non potest, nec modo positis repugnat, multa, post peccatum *μωσαϊστικῆς* in legibus, quæ Lev. XXXIV. sequuntur gravius ordinata, arctius determinata esse.

19.

Unctio Christi per Sp. S. Act. X, 28. alludit ad unctio-
nem regum ac sacerdotum V. T. Exod. XXX. Lev. VIII.
imprimis ad Ps. XLV. notatque inaugurationem adhec mu-
nera & exornationem, cum charismatibus, plane singularibus,
ad ea requisitis.

20.

Ufus Sacrae Cænæ est necessitatis, non absolute sed hypothe-
ticæ, dijudicanda ex intentione auctoris, ejus fine, fructibus
& ratione personæ quæ illa uti debet.



01 A 6554

ULB Halle

3

002 931 222




vd18

R





VIII.
von t
IX.
tibus
idiffer
X.
mon j
XI.
opän
X
gis,
s aut
X
tam
cere
XIV
nabe
telan
das.



Disputatio Theologica,
Pio S. Coenæ usui prævia,

2.

de
**Natura & Affectionibus
Donorum Spiritus Sancti
Extraordinariorum,**

quam,

Præside

Rectore Magnifico

NICOLAO NONNEN,

S. Theol. D. Ejusd. & Philos. Practicæ Prof. P. ac Cætus Mariani

Pastore Primario,

publice tuebitur

CONRADUS HENRICUS RUNGE,

Bremenſis S. Th. C.

& Societ. Teut. Brem. Secretarius.

die Jovis 13 Decembr. A. MDCCLIII.

h. l. q. f.

BREMÆ,

TYPIS VIDUÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS

GYMNASII TYPOGRAPHI.

2